6
19-d
41

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
9 G
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

21-e-43

24
e
50

6-19-d-41

Digitized by Google

FASCICULUS CARMINUM,

EX MANIPULIS

SACRIS,
ETHICIS,
POLEMICIS IN OWENVM, ET LUTHERVM,
OFFICIOSIS,
ET VARIIS

COLLIGATUS.

AUTORE
LAURENTIO BULBULIO
CLERICOR. REGULAR. MINORUM.
Eburone, S. Congr. Indicis Conſultore.

ROMÆ, Excudebat Maſcardus MDCLXXVIII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI
IOANNI-PAULO
O L I V AE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Societatis Ieſu Generali digniſſimo

LAURENTIUS BULBULIUS
Felicitatem.

IN noſtro liceat clarum mihi nomen OLIVÆ
Ponere Faſciculo; lumen ut inde ferat.
Scilicet in Pindo; non quem regit augur Apollo;
Summus ubi rector ſcis, facis, atque doces;
Aonios hauſi latices, iuvenilibus annis;
Ad fontem redeant convenit ergo ſuum.
Ad mare ſic redeunt, tectis aſcenſibus unde
Principium, aut patulo flumina ab imbre trahũt.
Scimus, in Urbe, tuæ quæ ſit facundia linguæ,

Digitized by Google

Prelaque conſumptis edocuêre typis.
Scimus & ex veſtris flores, quos colligis,hortis,
Cœleſtes ut in his exſpatientur apes.
Non me nominibus temerarius inſero magnis:
Ipſum etiam vatis nomen habere nego,
Magnatum ſteriles capiunt viridaria plantas;
Accipe in elyſio carmina noſtra tuo.
Otia dum fugio, ſi quæ ligo compede verba,
Libo, non pleno, ut dicitur, ore bibo.
Pocula plena nocent, aliquid guſtaſſe ſat eſto:
Delibaſſe putes, ne nihil auſus agam.
Invenies illic tibi lecta, & cognita ſæpe:
Nam qui multa legit, non nova ſenſa legit.
Offero Faſciculum, & cum Spicis addo Maniplos:
Si vir docte probas, quis reprobare poteſt?
Perlege: Divino (primæ ſacrantur ariſtæ)
Non caret, ut potui, parvus honore liber.
Addidimus quædam, quæ moribus apta videntur;
Iſtis ſi careat, vana poëſis erit.
Poſtea, ſtultitiam contra, reſpondeo ſtulto:
Ne non deſipiens eſſe putetur Oën.
Pleraque ſunt etiam, quoniam obſervantia poſcit,
Carmina præcipuis officioſa viris.
Meſſe remanſerunt perfecta ſi quot ariſtæ,
Colligit, & panem pinſit anhela manus.
Faſciculus veſtros meus admittatur in hortos,
Auſpice te, felix; gaudia meſſis erunt.

LE-

Lectori Liber.

LUſus Ingenuos Brevioribus Effero Rebus:
Laudas Ingenium Blæſius Eſſe Reor.

Atque iterum.

AUdis Faſciculum? ringens hunc ferre recuſas:
  Menſa tibi fiet; qui mihi faſcis erat.
Nam ſata collegi; fregit collecta molaris
  Ingenij: reliquum eſt cocta libenter edas.
Ad menſam facilem lætus conviva vocaris;
  Ut te non onerem, fercula quinque paro.

Sed rurſus.

PRodierant juveni mihi quædam carmina; legi
  Faſciculum: varia eſt Spica; bona,atq; mala.
Feci, quando nihil facio: conſumere carum
  Carminibus tempus, carius eſſe reor.
Quanquam materiam ſi libri inſpexeris, aptam,
  Credo, gravi, & dignam dixeris eſſe viro.
Ridebunt aliqui; multi arriſêre ſodales:
  Iungor ego primis, iungere tu reliquis.

Eidem.

HÆc tibi pauca dedi ſcribens epigrãmata, lector;
  Non mihi, ſed tibi ſis deditus, illa legens.
Si mala quæſieris, mihi deditus eſſe videris;
  Hæc mea ſunt; quoniam ſunt mea, linque mihi.
Humanus tamen eſſe volo; permitto, quod optas;
  Sis mihi, quando tibi deditus eſſe negas:
Nam, ſi propitijs, placidiſque afflaveris auſtris,
  Non male corrector, ſed bene lector eris.

Digitized by Google

AD A. R. P. LAURENTIUM BULBUL

In ſuis elucubrationibus æque ſervidum, & ponderoſum,

Epigramma

Joannis Lotti.

FOrtis es,& vivax;quæ ſunt dupla cauſa triũphi;
   Una dat ut facias, altera complet opus.
Acer enim genius, virtus quem firma gubernet,
   Alciden prorſus format, & omne domat.
Bulbus es, & Laurus, primoque in nomine ferves;
   Inque alio, mira quam gravitate viges!
Roboris hinc gemini compos, rapis undiq; palmas,
   Totus & Herculeum, Sydereumque ſapis.
Nil igitur mirum, ſi, quæ modo pignora promis,
   Laurea ſint Clarij, Lux, Deitaſque Dei.

Ludouicus Vazquez Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium Minorum.

CVM librum, qui inſcribitur; Faſciculus Carminum; à Patre Laurentio Bulbul noſtræ Religionis Sacerdote conſcriptum aliquot eiuſdem Religionis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtatem facimus, ut typis mandetur; ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. Romæ 11. Septembris 1678. Ex ædibus noſtris S. Laurentij in Lucina.

Ludouicus Vazquez Gener, Cler. Reg. Min.

Imprimatur, ſi videbitur Reverendiſs. P. S. P. A. M.

I. de Angelis Archiep. Urbin. Viceſg.

Imprimatur.

Fr, Raimundus Capiſuccus Ord, Præd. Sacr. Palat. Apoſt. Mag.

MA-

Digitized by Google

MANIPULUS I.

SACRA.

P*Erlege ; Divino (primæ ſacrantur Ariſtæ)*
Non caret, ut potui, parvus honore liber.

Oratio Dominica.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

AEtherei Pater alme Deus, regnator Olympi;
Nominis uſque tui ſanctificetur honor.
Plena tui adveniat, petimus, poſſeſſio Regni;
Velle tuum peragat Terra, quod Aſtra ſolent:
Mens habeat, te dante, ſuum cum corpore panem;
Solvimus obſtrictos, nos quoque ſolve pius.
Tu nos in laqueos, fragiles inducere noli;
Liberet à cunctis nos tua dextra malis.
Orantes timidè petimus tam magna, fatemur:
Sed tuus hæc noſtro Filius ore petit.

Salutatio Angelica.
Ave mutat nomen Evæ.

VIrgo ſumpſit Ave: pomum levis Eva comedit;
Attulit Eva malum; ſolvit at illud Ave.
Illud Ave fauſtum, damnoſa ſed Eva ſaluti:
Donat Ave vitam, ſi dedit Eva necem.

Anna

Anna vidua per Angelum arcana docetur.

Acroſticha.

SIdera continuis Phanuëlis filia votis
   Pulſat, & è templo non movet illa pedem;
O liceat, Rex magne, tuos mihi cernere vultus,
   Nomen & excelſæ noſcere Matris; ait.
Anxia continuis precibus jejunia nectit:
   Sic penetrant humiles ocius Aſtra preces.
Angelus ecce ſtetit, viduamque affatur amicè;
   Primos Anna apices ingenioſa lege.
*M*aximus *A*dveniet *R*ector *I*uratus *A*bramo;
   *V*entris *I*noffenſi *R*ex *G*ravidabit *O*nus:
*M*ox *A*dventabit, *T*eneroque *E*xcelſa *R*egente
   *V*iſo, *E*xclamabis *R*ex *B*enedicte *I*uva.

Immaculata Conceptio.

Chronicum duplex.

EXpers LabIs erIt, forMatVr fœDerIs arCa,
   oMnI VIrgo parens tota pVDICa LVe,
Regula certa quidem pro cunctis currit: ab illa
   Rite ſed excipitur Virgo Beata tamen.
Articulus fidei non eſt Conceptio; novi.
   Thejologus neget hoc; *Debuit*; *ergo fuit*.

Io-

Ioſeph fili David, noli timere. Matth. 1.

HÆrebat Ioſeph, utero faciente tumorem,
Quid ſpeculo acciderit Vrginis: Aſtra ſecat
Aliger extemplo, dubiumque hac voce ſerenat;
Criminis eſſe putas, Numinis eſſe ſcias.

In die Epiphaniæ:
Magi venerunt ab Oriente. Matth. 2.

QUi ſunt, qui veniunt tanto cum pulvere? Reges.
Quo duce eunt? Stella. Qui docuêre? Patres.
At duce quid ſtella prætendunt? Munera ferre.
Dic, rogo, cui properant munera ferre? Deo.
At quem ſtella locum præfixit Regibus? Arctum.
Forſan erit ſtabulum? Bos, aſinuſque docet.
Ede, quis in ſtabulo reperitur? Rector Olympi.
Quæ genitrix? Virgo. Quis pater? Ipſe Deus.
Quid ſufferre venit? Maledictus in arbore ſigi.
Ad quid? Ut in cœlos tu benedictus eas.

Ductus eſt in deſertum a Spiritu. Matth. 4.

IMpulit in vaſtam Chriſtum moderator eremum
Spiritus, ut noſtras ſanctificavit aquas.
Quid tibi cum ſylvis, & ſaltibus, optime Chriſte?
Tu peccata lavas, nulla lavanda patras.

Ar-

Arbore lapſũ hominẽ, cruce qui reparare volebas,
Arborem an ut quæras, in nemus ire paras?

Quid mihi & tibi eſt mulier? Io. 2.

CUm veneretur amans Genitricẽ gratus amantẽ,
Cur; mihi quid, Mulier, vel tibi; Chriſtus ait?
Eſt Mulier, ſed non communi nomine talis;
Eſt Mulier, ſed quæ? Maxima, ſola, prior.

Eucharistia alma mater.

SAnguine paſta ſacro mens exclamare fidelis
Cogitur, & voces tollere ad aſtra ſuas;
Dimittit puerum, matris perteſa labores,
Alterius genitrix ubere matris ali:
In Cruce quos genuit, ſævos perpeſſa dolores,
Sanguine filiolos Gratia mater alit.

PANIS SACER
Mors eſt malis vita bonis
Acroſticha.

NObilis, & multos Eccleſia ſacra per annos
Viſitur: eſt certum, Numen ineſſe loco.
Soli, unique Deo ſacra eſt, ſed rite fidelis
Paſtor ibi colitur, qui fuit ante lupus.
Hic; ego dũ meditor, mea quomodo vita per arctũ

Viri.

Viribus humanis ingrediatur iter;
Quo fuerat cæſus, præcinctus Apoſtolus enſe,
Cernitur; hos placido format ab ore ſonos.
Viribus ire tuis qui tramite credis in arcto,
Falleris; anguſtum Gratia ſternit iter.
Hoc iter ut ſubeas, opus iſta ſequentia noris
Carmina; quin etiam grammata prima legas.
*P*aſceris *A*ngelico *N*utrimine *I*uſte *S*acerdos:
*S*cilicet *A*uguſti *C*orporis *E*ſca *R*egit.
*P*eccatori *A*lmum *N*utrimen *I*ure *S*inatur:
*S*auciat *A*bſtruſi *C*orporis *E*ſca *R*eum.

Simon, Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, ſicut triticum. Luc. 32. 31.

EXigis ut cribres Simonem peſſime Satan:
Pala tibi ſolita eſt, quid modo cribra petis?
Illa tu reprobos tenebroſa in tartara trudis:
Tritica de paleis cernere cribra ſolent.
Sic ſibi quam cribret depoſcit Hypocrita plebem:
Sed cribrare ſuum Dæmonis inſtar erit.

Perditio Iudæ.

Acroſticha.

DIc mihi, Ioannes, recubaſti in pectore Chriſti,
Petrus ait; Quis erit proditor ille malus?
Ille,

Ille, bonum poterit qui prodere latro Magiſtrū;
Enſis, ut intereat non ſatis vnus erit.
Non opus enſis erit, Ioannes inquit, habebis
Nomen, & eventum verſibus hiſce viri.
Sume characteres quovis de nomine primos,
Et quater inuenies nomen ineſſe ſuum.
*I*mmanis, *V*æcors, *D*ominumne *A*mbage *S*alutat?
*I*nterea *V*afra *D*emitur *A*rte *S*alus.
*I*nfelix *V*ili *D*iſtraxerit *A*ere *S*alutem?
*I*nteſtina *V*omat *D*æmonis *A*nte *S*inum.

Iudas, & Pharao.

BLanditijs peccata, miniſque avertere tentat
Noſtra Deus; ſed quas exuperare putas?
Durus corde fuit Pharao, Iudaſque rebellis;
Atque hic blanditijs reſtitit, ille minis.
Fortior eſt aries, quo fortior oppugnatur
Murus: at ad facilem lentior eſſe ſolet.
Si malus eſt Pharao, Iudas eſt peſſimus: atqui
Blanditias Iudas reſpuit, ille minas.
Quando igitur Iudas, qui labe impurior omni,
Blanditijs agitur, cedere credo minas.
At Deus interea toto patefecit in orbe,
Quod favet, & ſævit; ſed ſcopus una ſalus.

Tran-

Tranſeat a me calyx iſte. Mat. 26.

CHriſtus agonizans prolixius orat in horto,
Sanguineoque pavens totus ab imbre madet.
Tranſeat iſte calyx, Pater optime, ſæpius orat;
Cum tamen optaſſet ſæpius hunc bibere.
An timet ergo mori nimio de ſanguinis imbre,
Qui pluit? Hinc orat; tranſeat iſte calyx.

Petrus in morte Chriſti flevit amarè. Mat. 16.
Et petræ ſciſſæ ſunt. Mat. 17.

Echica.

PEtre foras egreſſus ais, cum plangis amare;
Petra repercuſſos redidit icta ſonos;
Aſſiduos oculi lacrymarum ducite rivos,
Paſtor obit magnus. Petra ſed, AGNVS, ait.
Agnus erat mutus coram tondente: per illum
Cordibus omnis abit terror. Et, ERROR, ait.
Error abit, tenebræq; omnes; idola fugantur;
Corruit icta Babel. Petra reflectit, ABEL.
Cæſus Abel, cædiſque (nefas) perverſe Caine.
Petraque reſponſum vult dare, fracta NE quit.

Stabat iuxta crucem mater eius. Io. 19.

QVando ſpinoſo cinctum diademate Regem
In cruce confixum gens Recutita videt,
Blaſphemat; Regem eſſe negans, incredula tranſit:
Latro, qui ſtat, ait; Iuſte memento mei.
Omne malũ hinc oritur,quod nemo recogitet; imo
Tranſit agens aliud: ſtare Maria docet:
Stare,inquam,tacitoque in corde reponere cuncta,
Qualia, quæ patitur, quomodo, quanta,quibus?

Mulier ecce filius tuus. Io. 19.

IN Cruce dum pendet Genitrici dixit Ieſus,
Non, mater; mulier, filius ecce tuus.
Natus an indoluit Genitrici plurima paſſæ?
Nam pœnas pœnis addere, Mater, erat.
An quia qui vitam donavit, & omnia nobis,
Ipſa etiam Genitrix a moriente data eſt?

Diviſerunt ſibi veſtimenta mea. Pſ. 21.

SI debet Salomon, Saulque amittere regnum,
Alterius veſtis dilacerata notat.
Debuerat ſcindi, quæ veſtit purpura Regem;
Hac homines regnum ſignificare ſolent.

Ve-

Veſtimenta tamen Chriſti diviſa fuêre,
Quem ſtatuit Regem, ſed ſine fine, Pater.
Quid Regi facias, ſpoliata plebe? peribit:
Stabit, ſi proprijs veſtibus ille tegat.

In Auguſtum nomen IESV, *& Titulum Crucis*.

Acroſticha.

FLecte voluntatem Ieſu diſcrete rebellem:
Arbitrio regitur non bene ſola ſuo.
Hoc tua me pietas Ieſu perſuadet ut orem,
Diſtinctuſque notis quattuor hic titulus.
*I*nijce *N*olenti *R*etinacula *I*uſtitiarum,
*I*eſu, *N*octivago *R*egula *I*uſtitiæ.
Quinque characteres, quibus eſt venerabile nomen
Compoſitum, hoc ſuadent: ſic ego nempe lego.

nnocua	xpandit	alvator	iſcera	anctus:
uſtitia,	rranti	emita,	ita,	alus:
ngredientẽ	rgo	yncera	eſte	equamur;
mperat	nixe	emper	bique	equi.
I gnibus	*E* xurit	*S* uſpéſus	*V* ecte	*S* acerdos:
gnis	nim	emper	incere	ollicitus.
mprimit	xcelſus	ignacula	era	alutis:
nquiretur	nim	anguine	ita	uo.
ndicat	xcelſas	uperûm	ictoria	edes;
ngrediaris	as	igna	erenda	equens.

Reſurrectio Chriſti.

Acroſticha.

INferno Evicto Soſpes Victoria Surgit;
Ipſo Etiam Spoliat Vulnere Sarcophagum.

Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Mat. 28.

AEthereas victor remeat cũ Chriſtus ad auras,
Terribili tellus icta tremore gemit.
Perfida ſacrilego divinum acceperat auſu
Corpus, an ob furtum territa terra tremit?
An, velut inſuetas ſtomachus qui ſumpſerit eſcas,
Inſolitum icta vomit terra guloſa cibum?
An percuſſa ferit lethali vulnere terram,
Quæ tremit idcirco, mors inimica Deo?
Parturientis erant terræ fortaſſe dolores;
Nempe fuit partu nobilitata novo.

Reſurrectio, & Euchariſtia.

IN tumulo quæris, non eſt hîc, Angelus inquit:
Surrexit, ſicut dixit; habenda fides.
Ipſum quæris in altari? Tibi dicitur; eſt hîc:
Hoc etiam dixit; tu quoque crede Deo.

Mag-

Magdalenæ cum Chriſto colloquium. Io 20.

Echica.

MAgdala ſublatũm dũ quærit anhela Magiſtrũ,
Sic ea, ſic olitor, quem putat eſſe, refert.
Quid facis hic olitor, quid te juvat ire ligone
Accinctum; quid vis ſic ibi ſolus. OLVS.
Quod tibi quæris olus,dabit hortus;quæſo Magiſtri
Redde mei,quod habes corpus & hîc fero.ERO.
Redde, videns oculos flentis maria. Ille, MARIA,
Dixit: in amplexus hæc ruit; ille negat.
Quid renuis tangi: quia forte hîc tangere quæro,
Quem magis in Cœlis debeo. Dixit, EO.

In imaginem B. Mariæ Magdalenæ.

QVæ ſpecies? Meretricis ea eſt. Quæ forſan in urbe
Peccatrix? Ego ſum. Vivane? Vivo Deo.
Quæ fuerim inter vos præſens oſtendit imago:
Sed tunc vivebam mortua: viva modo.

Lacrymis cœpit rigare pedes, & capillis capitis ſui tergebat. Luc. 7.

QVod genus officij præſtas pia Magdala Chriſto;
Siccine monſtratur Magdala grandis amor?

Nam pedibus quare, quos fletibus ecce rigaſti,
Non bene terſuras vis adhibere comas?
Forſitan haud adhibes terſuros Magdala cirros:
Strictis, ne fugiat, vis religare comis.

Iterum.

BArbara ne Babylō præceps eat, inclyta Princeps
Impedit, at medias irreligata comas.
Magdala, ne diro cadat hoſtia flebilis orco,
Impedit; at lacrymis vda, ſoluta comas.
Extulit in ſignum faſtoſa ſuperbia crines;
Victoris pedibus ſigna ſoluta cadunt.

S. Sebaſtianus, militia abdicata, ſagittis configitur.

OPtat ad Aſtra levis, faciliſque volare Sebaſtes:
Sed gravia impediunt arma ſecare viam.
Proijcit hæc, levibus corpus firmatque ſagittis,
Promptus & his pennis ales ad Aſtra volat.

Ingreſſa Agnes turpitudinis locum, Angelum Domini præparatum invenit.

FOrnice in infami puriſſima ponitur Agnes:
Ipſa tamen Cœlo vindice virgo manet.
Ipſa intrante, Venus, perditque cubile Cupido:
Una abigit binos Agna pudica lupos.

S. Aga-

S. *Agatha*.

Cronichon duplex;
primum anni, quo martyr paſſa eſt,
alterum, quo carmen factum eſt.

Agatha teſtIs obIt, LICtore ferente papILLas:
CœLItIbVs DIVæ Mors bene grata fVIt.
Virginis exſcindi iubet impius ubera Prætor;
Nec via mollivit lactea carnificem.
Perfide tu ſacra decerpis ab arbore poma?
Siſte prophane; Deo poma dicata rapis.
Debuerat tigris, non ubera ſugere matris,
Qui ſecat, ut tuber, virginis uber homo.
HIſtoriæ veſtræ perhibent, quod poma Dracones
Aurea conſervant: vel tua Sacra time.
Scis quoque, quod, curſu quæ virgo vicit amantes,
Poma ſed ut vidit, tunc quoque victa fuit.
Mammoſam Venerem ſacro veneraris honore:
Siccine vera ſecas ubera, ficta colis?
Ubera nudantur: tu lactea poma videbis,
Nec tua durities frangitur? Ergo peri.
Expecteris adhuc; monearis cæde tuorum,
Confractus paries quos dabit exitio.
Heu miſer exitium caveas, abſorptus ab undis
Ne pereas: amor eſt conſuluiſſe viro.
Conſule tu capiti; tempeſtas imminet, inſtat:
Sic bene conſul eris, qui male prætor eras.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FAllor, an, ut Caiphas prætor fuit iſte propheta:
Lac dare non debet virgo, nec eſſe parens:
Hoc ut ſignificet, facto, non voce, prophetat;
Ubera virginei pectoris ergo ſecat.
Sed planum eſt, Dominum tales odiſſe prophetas:
Scilicet Aſſyria eſt virga dicata foco.

Claves Petri.

MArtyr quiſque ſui gerit inſtrumenta fidelis
Martyrij; claves cur Petrus unus habet?
Martyrium magnum eſt gentes frænare ſuperbas:
Hæc cauſa eſt claves cur Petrus unus habet.

Apparitio S. Michaëlis.

CVm tua ferre palã Michaël vis nomina Mundo,
Quem via fallebat, fert tibi taurus opem.
Quis ſcit an Europæ raptor fuit ille, coactus
Victoris Dæmon nomina ferre palam?

S. Nicolaus conclamatam trium virginum pudicitiam ſublevat.

DEſtinat Idalijs genitor miſerabilis aris
Natas ut faciant turpia Sacra Deæ:
At juvenis caſtus trina vice proijcit aurum:
Sponſis ſufficiens dos tribus illa fuit,

Deſine mirari, Sancto ſi membra liqueſcant;
Qui pietatis habet viſcera, tota fluunt.

Idem duo iumenta, variatis etiam capitibus, reſtituit vita.

MAne parabat iter terſanctus Epiſcopus; ecce
Iumentis referunt colla ſcidiſſe ſuis.
Binus erat vector, niger unus, candidus alter,
Et, capite abſciſſo, pronus uterque iacet.
Candentis caput ille nigro coniungit, & albo
Nigri; perque aliud vivit uterque caput.
Reddi cuique ſuum poterat caput: error omiſit;
Atque error ſtudio profuit ille magis.

B. Felix Cantalicius
orare in templo, ſimul & arare in campo viſus eſt.

SI nequit in templis Felix orare venuſtis,
Solus at in campis orat, aratque pius.
Quin ſimul in templo Superos ardentius orat,
Et ſimul in campo ſedulus actor arat.
Orat, aratque ſimul, varijs replicatus in oris;
Atque unum capiunt area, & ara virum.
Oret pro nobis Felix, qui litus aramus,
Sit Deus ut noſtris tutior ara malis.

S. Carolus Aulicum male officioſum laborioſo ad S. Mariam Majorem itinere caſtigat.

SOllicitat Carolum, nec deſinit Aulicus uſque;
Tu Dominæ debes, inquit, amore frui.
Ad Satanæ voces claudebat ſedulus aures;
Hic Dominam Iuveni congeminare pio.
Tum Carolus; Dominam inveni mihi, nocte ſecreta
Ibimus aſtuti: conſulis? eſto comes:
Veſtibus arma ſuper pretioſis ferrea defer;
Sic in equis Dominæ convenit ire domum.
Syrius ardentes tunc temporis uſſerat agros:
Lætus at inſtructis omnibus ille venit.
Compita & incedunt multo ſudore per Urbis.
Virginis in clivo fræna levantur equis.
Lenis in Eſquilijs aſſurgit clivus in altum,
Et ſacer eſt Matris Virginis æde locus.
Tum iuveni Carolus, Dominam reverenter adora,
Et genibus, mecum perfice, dixit, iter.
Tunc rurſus cecidere nives æſtate calente:
Cogitur his nivibus parcere flamma Stygis.
Diſcite quam juvenes Dominam vos rite colatis:
„ Hæc Domina eſt major, cedat amica minor.

Thomas a Villanova Sanctorum albo adſcribitur.

TE Sanctorum albo, Pallotta orante, notari
Iuſſit Alexander Papa, movente Deo.
Pallottam ferrata manus, vibranſque flagellum
Signat; Alexandro montibus Aſtra ſedent.
Scilicet in ſontes vibraſti ferrea tela;
Montibus in ſanctis hinc nova Stella ſedes.
Attamen influxus, quos vivens Stella fluebas
Qui melius vivis; perge, benigna flue.

S. Raymundi Nonnati mater parturiens moritur.

LVna ſuum ut novies oſtendit, & abſtulit orbem,
Raimundi genitrix pondere preſſa cadit.
Tantæ molis erat Raimundum condere mundo;
Debeat ut propriæ matris habere dies?
Quæ patuit reliquis, uni tibi clauditur alvus?
An ſuſpecta pudor clauſtra parentis habet?
Ut te progeneret, vires Natura coëgit:
Plus nequit, & ceſſat; Gratia perficiet.
Aut nihil, aut Cæſar, cæſa vis matre vocari;
Nomina Nonnati convenienter habes.
Sic te non poterit maior Baptiſta vocari:
Natos inter enim dicitur ille prior.

Rai-

Digitized by Google

Raimundum ab ingreſſu Religionis fruſtra Pater avocans, pecori paſcendo deputat.

SIc Raimundũ olim memorant cũ Patre loquutũ;
Vt Nati refero, profero verba Patris.
P. Siccine Nate ſenem poteris tu linquere Patrẽ?
F. Me vocat Æternus: convenit ergo ſequi.
P. Anne ſenectutis baculum Deus auferet æquus?
F. Auferat, eſt dominus; conſulet ipſe tibi.
P. Conſule tu Patri: quid vis tentare Tonantem?
F. Falleris; haud tentat, qui pius obſequitur.
P. Mene fugis, nec te noſtri reverentia flectit?
F. Non ego te fugio: præſtat amare Deum.
P. Verba nihil proſunt; ſuccedent verbera verbis.
F. Verbera uti ſperno, ſic bona verba ſequor
P. Vade; ſed in campos, pecoris digniſſime cuſtos.
F. Vado lubens, animum paſcere diſco meum.

Raimundus paſcit oves.

HErboſos igitur ſequeris Raimunde per agros
Molle pecus. Felix upilione pecus!
Nunc corylos inter, nunc propter amabile fontis
Irrigui murmur læta reſultat ovis.
Paſtores hilaris ſolitus ceciniſſe priores,
Quos ſacra commendat pagina; dulce melos!
Sic

Sic lætus pluvias ſuffers, & ſpicula ſolis:
  Ruri, quidquid aves, immemor urbis, habes.
Gaudia contentum faciunt cœleſtia pectus:
  Paſceris, & paſtus ſic bene paſcis oves.

Tentatur a Diabolo.

REpere Tentator ſolitus ſub imagine veri,
  Inſidiatores ſubijcit arte dolos.
Paſtorem ergo Lupus fingit, quo mella venenis
  Imbuat; &, turpe eſt paſcere, dicit, oves.
Addictum æternis ruri tulit Invidus ægre:
  Nutrit ruri animum, perdet in urbe, bonum.
Hac vice quaſſata ſed nixus arundine Dæmon
  Victus abit, ſequitur paſcere paſtus oves.
Scilicet ignita fornace probatur ut aurum,
  Sic tentata fides Dæmonis arte nitet.

Ad ſacrum ordinem a Deipara Raimundus invitatur.

INtrepidus poſtquam ſuperavit Dæmonis artes,
  Virgo Parens famulo talia verba ſuo;
Dæmona viciſti, lætor; tu vincere perge;
  Vincendo, facilis vincere ſemper eris.
Virgineum florem gratum mihi noveris eſſe:
  Filius eſt virgo, virgo parenſque fui.
Ergo cœnobio ſtatuens te credere ſacro,
  Quod mihi delegi, concipe vota Deo.

Ut

Ut valeas ſervire Deo, perge elige clauſtra;
Sic mihi natus eris, ſic tibi mater ero.

Religionis iugo colla ſubmittit.

DEſeris, accenſus divino puber amore,
Prædia, rem, fundos, ſigna, domumq; patris.
Siccine vix natus linquis NONNATE parentem?
Non tibi res humilis, ſtricta nec illa domi.
Nimirum terrena lubens tu deſeris: alto
Ut ſervire Deo detur, & eſſe probus.
Si ſequitur Mundum, miſero qui natus in Orbe;
Si NON NATVS eras, debueraſne ſequi?
Vel ſi natus eras; Cœlo tu natus & Aſtris:
Denotat ut moriens mater ad Aſtra viam.

Captivos redimit.

ATrox Chriſtiadas captiva catena tenebat;
Iamiam Tartareo mente ligantur hero.
Pergis Agarenas Raimunde redemptor in oras;
Ut ſervos redimas, ſervus & eſſe cupis.
Et cupis, & præſtas: ſponſorem namque Gelinus
Te retinet, lytri deficientis herus.
Quidquid in orbe mali vir pertulit, ipſe moleſto
Perfers ſub domino, fortis athleta Dei.
Te bonus hoc docuit Chriſtus Raimunde: Magiſtri
Diſcipulus bonus es ſic Räimunde boni.

Prop-

Propter verbum Dei torquetur.

O Re niger Maurus,ſed corde nigerrimus atro:
Infecit Mahometh nempe nigrore ſuo.;
Infelix animi poteras abſtergere ſordes;
Auxiſti maculas ſus lutulenta tuas.
Æquior audiſses utinam bona verba ſalutis,
Quæ tibi promebat fervida præco Dei.
Ingratus maceras, duroque in carcere vexas;
Claudis & os clavi vera loquentis atrox.
Conſtantem tu dure premis, ſed preſſa vireſcit
Planta; premis palmam? tollit anhela caput.

Galero purpureo decoratur,

E Gregia attonitus certamina militis audit,
Audit, & exultat ſummus in Urbe Pater.
Hic renovat veterum præclara exempla virorum,
Dixit, & effuſo ſanguine dicta probat.
Sanguine quem proprio tinxit, ferat ergo galerũ:
Deferet ille nota proſperiore rubrum.
Verbera Barbaricis toleravit fortis in oris,
Præmia Romanis debet habere locis.
Virtus fert meritos in Cœlis ſemper honores;
Quæ tamen in terris obtinet, illa micat.

Rubro inopis caput galero tegit.

CArdo igitur, Sacrique decus ſublime Senatus
Factus es antiquæ Relligionis Apex.
Auſpice quo pietas in terris claruit, atque
Emicuit, titulis ſemper honeſta ſuis.
Quæritur exemplum? Pro multis ſerviat unum:
Heroicæ videas hîc pietatis opus.
Ibat egens madidus pluvijs, & vertice nudus;
Compatiens petaſo contegit ille rubro.
Qui dat rubrum inopi tanta pietate galerum,
Contegit illius ſacra corona caput.

Spinis a Chriſto coronatur.

ECce tibi roſeam defert Maria coronam:
Cingat ut exutum digna corona caput.
Plus ſatis eſt, Raimundus ait; non ſerta roſarum
Opto; coma eſt Chriſtus verticis apta mei.
Chriſtus adeſt; inopique datum paulo ante galerũ
Geſtat; habet ſpinas Chriſtus, habetque roſas.
Porto roſas, ſpinaſq; gero, Raimunde; quod optas,
Elige, ait. Spinas opto, ſed ille refert.
Hoc veneranda fides docet; hoc ſpes ampla triũphi;
Talibus exemplis Chriſtus & ipſe præit.

Sacra Synaxi a Chriſto reficitur.

VEnerat illa dies, Raimundus ut Aſtra ſubiret;
Promptus erat, Chriſto ſed præeunte, ſequi.
Ergo ſacra refici deſiderat ante Synaxi:
Longum Presbyteri ſed remoratur iter.
Ecce tibi Alborum Chriſtus comitante caterva;
Dixeris hos ſocios Ordinis eſſe ſui;
Advenit, & proprium ſervo dat corpus in eſcam:
Ut magnam valeat fortis inire viam.
Talis ſeſe infert, tantos oſtendit amores
Chriſtus, & in famulo complacet ipſe ſuo.

In Die Natali. Ad puerum Jeſum.

O Dignare tuos, Borea, compeſcere flatus;
Et tenerum Pueri parce ferire latus.
Deſine flare ferox; zephyros ſpirare relinque:
Ut teneros artus mitior aura levet.
Hei mihi, nequicquam ventos exoro rigentes;
Et mea condenſant frigore verba feri.
Quanta nivis ſteriles reſperſit copia campos;
Omnibus eſt terris candidus ecce color.
Et nimio conſtricta gemit præ frigore tellus,
Undaque præ nimiô eſt vitrea facta gelu.
At tu magne Puer, ſævos contemnere ventos
Nouiſti, & glaciem, prærigidamque nivem.
Nil

Nil tibi cum zephyris; Sancti qui Pneumatis aurã
Colligis: hæc per te pectora noſtra fovet.
Et ſi terra riget, rigidam ſcis ſpernere: noſtra
Ne pergant ſcelerum corda rigere gelu.
De nive cura tibi nulla eſt, ne tegmina mundi
Algida peccati frigore membra tegant.
Deſpicis adſtrictam facilis quoque frigore lymphã:
Vulnera quo calidis noſtra laventur aquis.
Naſceris, & natum vilis caſa ſuſcipit: ut nos
Aurea in æthereis ſedibus aula locet.
Cum bove conſueſcis, vilis te ſtipat aſellus;
Cui tamen Aligerûm gaudet adeſſe chorus:
Deſinat ut brutis ſimilem iam degere vitam,
Angelicamque velit vivere natus Adæ.
Quin tenerum paleis reclinas Ieſule corpus:
Cœlicus ut capiat corpora noſtra torus.
Sed madet aſſiduo lacrymarum vultus ab imbre,
Atque effuſa ſinum Virginis unda rigat:
Scilicet; ut memorant adamantẽ ſanguine; noſtri
Duritiam cordis molliet iſte liquor.
Salue magne Puer, ſoboles promiſſa Davidi;
Tu deſiderium gentis, amorque tuæ.
Nunc ſumptis homines animis majoribus audent
Excutere injuſto libera colla iugo.
Adſtitit ecce tuum ſupra caput ultio, nequam
Spiritus, & fractis cornibus acris erit.
Hoc naſcente ruent veterum ſimulacra Deorum;
Ligneus & toto corruet orbe Deus.

Illi-

Illius aduentu, ceu cera liqueſcit ab igne,
Diffugiet, pulſo crimine, vita levis:
Iura dabit pietas, terras colet aurea virtus;
Linquere cogetur frauſque nefaſque ſolum.

Ad Virginem Matrem.

AT vos felicis felicia viſcera Matris,
Conceſſum quibus eſt ferre ſalutis onus.
Hunc nobis Puerum, Tu, prole beata dediſti;
Unica tu mater digna reperta Dei.
Illius es genitrix, portas qui franget Averni;
Quem Stygius prædo planget adeſſe ducem.
In tenebris poſitis Solem hunc Aurora dediſti;
Hæc nova Lux per Te fulſit amica reis.
Felix prole parens, cuius perſentiet iras
Dux Erebi, noſtro lætus, ovanſque malo.
Æterno Soboles, magnoque æquæva Parenti,
Concurrente tuo ſanguine, corpus habet.
Aëris, & terræ qui cives paſcit, & undæ,
Uberis hunc paſcis Virgo liquore tui.
Qui cœlum, terraſque manu qui cingit, & æquor,
Hunc ſtringit manibus faſcia cincta tuis.
Altam qui ſtatuit ſublimis in Æthere ſedem,
Deſidet in gremio ſarcina parva tuo.
Cuius conſervat mundum vigilantia, dormit
Ille, tua cunas dulce movente manu.
Omnipotens, ſolidis baſibus qui ſuſtinet orbem,
Figere, Te, diſcit, Virgo, regente pedem.

Qui cum Patre ſimul Divinum ſpirat Amorem,
Huic tibi conceſſum eſt oſcula cara dare.
Unica præ cunctis muliebris gloria ſexus,
Fructum matris habes, virgineumque decus.

Ad S. Ioſephum Pueri Nutritium.

TE quoq; quo memoré, Nutritie, carmine, Ioſeph,
Qui tantæ Prolis diceris eſſe pater.
Ultima Tu Regi ſoboles promiſſa Prophetæ,
Linea quo finem poſteritatis habet.
Flos hominum; florens qué Numine virga jubente,
Cuſtodem Pueri, Matris & eſſe jubet.
Felix depoſito: nam, virginitatis honore
Sponſæ ſervato, fit domus ipſa Dei:
Quemque dedit mundo, Tu conſuetudine lætus
Uteris, & gaudes ſemper adeſſe tibi.
Secretum cœleſte Tibi committitur uni;
Dignaturque Tibi Numen habere fidem.
Credita ſunt olim Patribus myſteria priſcis:
His tamen eſt tantum ſcire futura datum.
Non ventura tibi, verum præſentia noſſe
Eſt tibi conceſſum, & tangere poſſe manu.
Divino debes Puero Tu quærere victum
Tu debes propriam ſuppeditare domum.
Maximus ille Puer peraget fabrilia tecum;
Ligna Tibi manibus porriget ille ſuis.
Invideat ſorti cœleſtis Spiritus iſti,
Si foret invidiæ Spiritus ille capax.

Hym-

Hymnus de B. V. Maria, quæ Nova nuncupatur.

QVando divinos animoſa credit
Conſequi, pomum rapiens, honores
Eva, concluſit miſeros in ima
Valle nepotes.
Virgo, ſe Ancillam Domini vocando,
Fit novo, miroque modo Parentis
Mater, extollitque hilares in alto
Monte Fideles.
Eva noſtrorum genitrix laborum,
Sibilos olim veteris Draconis
Audit, & veſtem ſibi nuptialem
Nuda reliquit.
Virgo ſed noſtræ genitrix quietis,
Ut novam vocem Gabrielis audit,
Nos nova, verbo ſed obedientes,
Veſte retexit.
Qui Dei matrem veneratur almam
Exuat veſtem veterem; novamque
Induat, lotam lacrymis ab omni
Sorde recentem.
Ut novum pêr ſecula concinamus
Canticum Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar Amor utriuſque,
Virgo precetur.

Chriſti apparitio.

NAtus erat ſummi generoſa Parentis Imago,
Virgo parens fœnum pro cervicale miniſtrat;
Paſtores celebrant Pueri ſolemnia nati,
Et jumenta pio depellunt flamine frigus.
Sed nova ſtella, novæ miſeris prænuncia lucis,
Sollicitat Sapientum animos, Regione locatos
Hinc procul Eoa: credunt ſignare Monarcham
Excelſum, qui ſupra hominem Davidica ſceptra
Æternùm placida dominatus pace gubernet.
Tunc [illegible]ticinium completum, quod Balaamus
Viderat, elapſo multo jam tempore; quando
Ore vel invito; Conſurget Virga, loquutus;
Semine ab Iſraël; orietur Stella Iacobi;
Nec modo,nec prope,eũ tamẽ ipſe videbo,tuebor.
Scilicet,innumeros poſtquam revolutus in orbes
Calcatum repetivit iter ſol igneus, eius
Poſteritas (proles vice patris ponitur iſtic)
Conſpexit Stellam cœlo monſtrante ſtupendam.
Quis non obſtupeat, mireturque æthera ſidus
Progenerare novum? Sedenim ſcrutantur, & ecce
Vel docti oraclo antiquo, vel forte recenti
Commoniti, pergunt Chaldæi longa viarum
Curricula; & Solymos veniunt audacter, & intrant
Ad Regem,cœlo duce; contemnuntque catervam
Regia ſtipantem latera; & fidente Tyrannum
Fron-

Fronte rogant; ubi ſit, qui nuper venit in auras
Æthereas, quem conſtituunt Oracula genti
Iſacidûm Regem; Stellam nos vidimus; atque
Venimus, inſtructi donis, ſpectare recentes
Vultus, & meritos pro viribus addere honores.
Tum Regis turbata quies, populique repente;
Et durum fortaſſe aliquid decernere viſum:
Sed meliora, Deo ſic diſponente, capeſſunt
Conſilia: at vulpi aſtutæ conficta doloſis
Artibus. Aſt hominum Divina Scientia vanas
Artes deridet. Reges hoc credite tandem.
Ergo locum poſtquam didicerunt:quippe Michææ
Allatum vaticinium, referentis ad urbem
Hoc Bethlemiticam; populo Dux unde regendo
Iſraël, ſacer ecce canit prodire Propheta;
Atq; ita non minimã hanc maiores inter habendã;
Inſtruit Herodes, Vulpis ſub pelle Leonem
Diſſimulans; & ait; ſolertes ite, rogate
De puero, poſthæc inventa referte fideles,
Ut meritos ex me capiat Rex natus honores.
Sed pueri per te, crudelis, & impie, morti
Addicti referant quid de Puero hoc voluiſti.
Ergo iter inceptum, ſtella præeunte, ſequuntur,
Nil veriti ambages, quando, magnetis adinſtar,
Corda trahebantur. Rectà ducuntur ad antrum
Sępius optatum, ſalierunt corda virorum
Lætitia ingenti; poſt mille pericula tandem
Inveniunt Puerum, comitatum Virgine Matre;

Tum demiſſi animis, & flexi corpora donant
Thure, Auro, Myrrha, Numen, Sceptrum, atque
Sepulcrum.

De S. Thoma Aquinate.

Argumentum. Factum eſt prælium magnum; Thomas, adiutore Deo, præliabatur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius; & non prævaluerunt.

SEnſit Aquinatem Veneris fregiſſe ſagittas
Infernus, flevitque peruſta Cupidinis arma.
Dive fave, tua quò referam certamina, Thoma,
Auxilijs pugnata Dei: cum turpiter ardens
Igne uno; alterius mulier titione fugata eſt.
Poſtquam, res hominũ cœlo miſeratus ab alto,
Omnipotens peccata Deus, culpaſque reſolvit;
Niſus erat Sanctis unus, properabat ad unum
Quiſque Redemptorem; grati pro munere tanto
Signa animi ſi qua exhibeant. Verum impius ille
Humani generis juſtos examinat hoſtis,
Aſſiduo requiem donans certamine nullam;
Triſtia molitur, ſuperaddit prælia bellis;
Ingeminatque dolos. Manet alta mente repoſtus
Lapſus, & a Superûm triſtis deiectio ſede.

Non

Non valet addictos homines ſufferre beatis
Sedibus; ereptas quàm vellet! quando ſedere
His ſibi non licuit; rapiente hæc iura minore.
His ſuper accenſus, ſtimuliſque agitatus iniquis
Invidiæ, mœſta teſtatur voce dolorem.
Heu ſortem inviſam, & votis contraria noſtris
Vota Dei! Num me, compactum fæce carentem
Corporea, tenebris retineri, & carcere diro
Convenit: ut toto decanter fabula Mundo?
Nec Cœlo exturbaſſe ſatis; ni vilis, & ima
Tractus humo, in noſtras ſedes, & iura vocetur.
Non patiar, prohibebo nefas, lacrymabile Mundo
Bellum indico: meas ut homo perſentiat iras.
Senſerunt huc uſque mei iam ſigna doloris;
Primus & ante omnes, fraterno ſanguine caſtam
Qui maculavit humum; cataclyſmo exinde vorati.
Poſt mea diffuſum longè, lateque per Orbem
Iura dedi; ſtatuas erexi, & templa Deorum,
In quibus ipſe, Deo nolente, volente, ſupremum
Latriæ cultum obtinui, veneratus ad aras.
Et, Fixus licet ille cruci ſpoliaverit iſto
Me cultu, reditus ſolitos tamen accipit Orcus.
Quamquã animũ nõ parva meũ tribulatio torquet:
Quippe meum imbelles pueri contemnere regnum
Audent. Præcipuè hoc unus contemnit Aquinas.
Nempe parat ſacris adſcribere nomina caſtris.
Impediam, expugnabo animum: noſtra ille capeſſat
Iuſſa etiam: nigro quoque victima concidat Orco.

Tales ille ſuo rumpebat pectore quæſtus;
Inque lacus ſtygios, & luce carentia regna
Se recipit; vultuſque in cœtum convocat atros.
Conveniunt facie æthiopes, aliſque volucres,
Noctua, ſtryx, bubo, cornix, & talia monſtra.
Deligit hos inter de multis millibus unum;
Technas ille, doloſque ſciens, arteſque nocendi;
Navaturum operam promptuſq;, lubenſq; recepit.
Nulli ergo viſo vectus per inane citarum
Remigio alarum; poſt tergum ventus euntem
Vix ſequitur; veloxque tuas pertingit ad oras,
Parthenope; quo deinde petit, mox tangit Aquinũ;
Et Theodoræ audax ſubiens penetrale, vacantem
Hanc reperit; mentiſq; movet phantaſmata dextrè.
Extemplo genitrix mira dulcedine nati
Victa, videre optat; Benedicti clauſtra colentem
Natum ad ſe revocat. Malus exultare regreſſum
E clauſtris, & virtutum liquiſſe magiſtros.
Quippe ſtatos hymnos inibi recitare ſolebat;
Aſſiduoque orans, Numen ſatagebat amicum
Reddere; frænum ori inijciens conſortia prava
Vitabat, pectuſque probis formare ſtudebat
Moribus: ut celſum ſibi puro corde daretur
Poſſe videre Deum. Namque ex tunc vela per altũ
Expandit pelagus Deitatis; Quid Deus eſſet,
Aſſiduò rogitans; Præceptor ſæpe rogatus
Sæpe rogabatur. Puer hoc ſeptennis avebat
Scire: mari gaudens iam tanto credere navim.

Ergo

Ergo Malus ligno extremam moviſſe procellam
Credit, & exultat ſuceſſu lætus, ovatque.
Proſequitur tamen inceptum, inſtigatq; parentem;
Ut puerum fratres imitatum deſtinet armis:
Parvula ſi caſtris ætas videatur inepta;
Parthenope floret ſtudijs, huc deſtinet illum:
Conſpurcare luto nitidas ſperaverat undas;
Scilicet innocuos juvenis ſeducere mores
Aſſiduo pravorum uſu. Sed fultus inani
Spe, vanaque ſimul, doluit caruiſſe labores
Eventu: vires quinimo ſumere Thomas
Viſus; & hinc domito præclariùs hoſte micare.
Ergo, Parthenopen claram ut pervenit ad urbẽ,
Illi cura fuit cordi hæc ex omnibus una;
(Cum mala vicinæ lædant contagia peſtis)
Ut ſceleratorum fugeret commercia longe.
Ex libris libabat, apis de floribus inſtar,
Doctrinæ, morumq; favos. Et ſedulus, omni
Tempore, procurabat iners, & deſes ab hoſte
Ne reperiretur. Sacra ipſe frequenter adibat
Templa; frequenſq. dabat paſtum meditatio rerũ
Æternarum animæ. Servam jejunia carnem,
Promptior ut dominæ mentis mandata capeſſat,
Frænabant; prohibens oculos formoſa tueri:
Scilicet intactum ſatagit ſervare pudorem:
Hanc etenim Thomas coluit, virtutibus unam
Præ reliquis: ut caſta Deo qui corda placere
Sciret, & hac homines reddi virtute Beatis

Spi-

Spiritibus ſimiles. Quare determinat; arce
Quo caram valida poſſit defendere gemmam;
In clauſtris, velut in caſtris, recludere ſeſe.
Sic fore ſecuram prudens ſperavit ab hoſte.
Tum verò exarſit furijs Cacodæmon iniquis;
Omnimodiſque bonum ſtatuit prævertere Thomæ
Propoſitum: ſatagit duros proponere mores
Clauſtrorum. Et noſcas, Fratrū quòd Ductor ab illis
Nocte ſtatos hymnos, ſolitos & luce labores
Exigat; & tenuis quod ſit veſtiſque, cibuſque:
Ora velis macie pallentia cernere Fratrum,
Rugoſaſque genas, oculoſque in fronte ſepultos.
Clauſtra abiecti homines coluêre: propagine clara
Ipſe ſatus, maculam claris inducere noli
Patribus. An vivus cupias habitare ſepulcrum?
Talia ſuggeſſit. Sed voces Dæmonis, aures
Obducens, renuit Thomas audire doloſi.
Noverat antiquum inſidijſque, doliſque latenter
Repere ſerpentem. Sic primos nempe parentes
Olim ſeductos; vetitum quos mandere pomum,
Vano acquirendæ titulo Deitatis, adegit.
Ergo pudicitiæ juvenis, cui ſumma colendæ
Cura inerat, ſtatuit titulos, mera nomina, vanos;
Quæque homines potiora putant, rē, prædia, fūdos
Deſeruiſſe; Deique, exutum his, caſtra ſubire.
Nuper zelatus Divinum Sanctus honorem
Domnicus, avulſos mundo, cordique reductos
Cœnobio dederat: ſoliti frænare ſuperbos

Motus

Motus, ducebant vitam ſine labe pudicam.
Huic pius adſcribi curat ſua nomina Thomas
Militiæ, & ſacro ſua corpora velat amictu.
Illi theſauro mirè lætantur adepto;
Atque, ut conſervent, alienas mittere in oras
Conſtituunt: virtutum altrix Lutetia viſa eſt
Commoda: nec tempus teritur, ſed protinus illuc
Mittitur, ut ſævæ fugiat vim matris, & iras.
At livore Mali mens effera duplicat alas;
Protinus in propria genitricem convenit arce:
Nunciat avulſum Thomam, vilique recluſum
Cœnobio; natum, ſua viſcera, pergat ademptum
Extrahat; atque iterum in lucem velit edere prolē.
Illa furore amens, greſſu feſtina citato
Parthenopen venit; clauſtrū petit: &, mihi Thomā
Siſtite, proclamat; date natum; reddite prolem.
Egreſſus Ductor, matrem ſedare benignis
Nititur alloquijs; generoſum exinde docere
Nati conſilium, ſpreviſſe caduca, ſequutum
Signa Redemptoris, meritumq. æterna ſequendo.
Poſtulat illa ſuum ſibi ſiſti ante omnia Thomam.
Cui Ductor, Domina exoptarē implere, quod optas,
Aſt iter ingreſſum nequeo tibi ſiſtere natum.
Tum Genitrix. Cauſas nequicquam nectis inanes:
Fac videam natum. Sed Ductor; Nuper abivit,
Inquit, & hoſpitio clarum Lutetia clara
Excipiet, gremioque fovebit, ut altera mater.
At mulier, rata ſe contemni, excanduit ira;

Om.

Omnimodiſque parat natum revocare; reverſo
Ex humeris lacerare ſacras, non tollere, veſtes.
Ergo reverſa domum, nihil illacrymata, querelas
Exprimit in charta; natos implorat, euntem
Ut revocent fratrem. Fratres hi caſtra ſequuti
Induperatoris, quod collibuiſſet, ab armis
Illi implorabant, nulloque hiſcente tenebant.
Poſtquam lecta fuit genitricis epiſtola natis,
Nec mora, nec requies, diſperſo milite cingunt
Obſidione vias, incautum invadere certi.
Tempus erat, tenues quo Sol altiſſimus umbras
Fecerat, arenteſque ſoli ſiccaverat herbas;
Cum putei grato reſidens in margine Thomas,
Hîc ubi protendit frondentia brachia quercus,
Frigora captabat feſſus, zephyroſque ſalubres;
Exuſtaſque ſiti recreabat fonte medullas.
Ecce tibi multus tacitis erumpere ſylvis
Cœpit, & in puerum, ſocioſque invadere miles:
Protinus ex humeris ſacram diſcerpere veſtem
Nituntur: manibus defendere nititur ille:
Et tenuit; donec vi tractus ſiſtitur ante
Conſpectum fratrum, ſatiùs fortaſſe, leonum,
Dixero. Multum illi clamantes plena minarum
Verba vomunt;ſacram diſcerpunt denique veſtem;
Imbellem accuſant, inhonoram ducere vitam
Quòd velit, & patriæ tenebras offundere luci.
Multaque præterea digna, atque indigna relatu
Adiunxêre. Stat invictus tela omnia contra

Egre-

Egregius juvenis; nullo clamore movetur.
Certamen longè maius cum matre ſequetur:
Nam quia ſe ingenium fratris læſiſſe ſciebant,
Placandum matri fratres deferre putarunt.
Ut natum vidit genitrix, quater illa profari
Conata eſt: quater eſt lacrymis excluſa loquela:
T[illegible] andem; quæ te, inquit, fili, dementia cœpit,
Ut matrē, matrē hanc, quæ te; dum Cynthia vultū
Immutat novies, tam duro pondere geſſit;
Deſeruiſſe velis, nulla tibi parte moleſtam.
Matri intende; nurum debes mihi nate pudicam,
Matrem audi; pulcros debes mihi nate nepotes:
Te rogat hoc genitrix: genitricem audire recuſes?
Te, te matris amor, te matris gratia flectat.
Quòd ſi diſpliceant ſocij conſortia lecti:
Quid tibi cum clauſtris? mitris caput, atque tiaris
Ornetur, ſortemque feras natalibus æquam.
Talibus orabat genitrix. Sed talia Thomas;
Me Chriſti, inquit, amor, Chriſti me gratia flexit;
Non ego te genitrix contemno; ſed audio Chriſtū:
Iurgia nolo tori, capiti non quæro tiaras. (tra.
Chriſtus pauper amor meus eſt, mea ſplendida mi-
Dixit, & adverſæ defixit lumina terræ.
Nec quicquam ulterius genitrix expreſſit ab illo.
Illa obteſtari natum; ſimul ubera monſtrat
Nuda: ſed in vanum; ſuperat conſtantia Thomæ.
Obvia ceu pelago rupes, nec mobilis ullis,
Fluctibus; Æolijs cum proruit Africus antris;
Æquo-

Æquoreis tentatur aquis, tegiturque: ſed inde
Unda repercuſſo ſpumis fremit irrita Ponto.
Ira amens mulier, genitricem exuta, domare
Fortem certa animum, recludi carcere natum
Imperat: ut durum ſuperet vexatio pectus.
Alternanſque vices, animum modo pulſat amicè,
Et modo, duritiem tantam indignata, minatur.
Quin binas etiam iubet accerſire ſorores.
Artibus inſtructæ binæ venêre doloſis;
Retibus incluſæ binæ rediêre ſalutis:
Nam fratrem a clauſtris conatæ avertere, fratris
Suaſu, clauſtra intrant, & virginitate dicata
Cœleſti ſponſo, connubia vilia ſpernunt.
Quid malus hic faciat Genius, quid deniq; tẽtet?
Sub Styga ſe recipit, tenebrarũ a Principe, poſtquã
Narravit tranſacta dolens, ſibi poſtulat addi
Ad pugnam ſocios. Erebi Rex infremit ira:
Adſtanteſque ſuo lateri Cacodæmonas addit
Binos ad pugnam ſocios. Hi prælia vincunt
Cuncta ferè; raruſque poteſt ſufferre tyrannos
Miles: ijs frontem vertiſſe, & cominus ire
Contra lethale eſt. His olim ſubditus orbis;
Et Divos, pulcro prætexens nomine culpam,
Dicebat: Venus hic vocitatur, at ille Cupido.
His verò Princeps dictis animavit euntes;
Ite meæ vires, mea magna potentia ſoli;
Ite alacres, tumidumque caput conſtringite noſtro
Sare ſub imperio. Me vis Divina coërcet;
Col-

Colla coacturus noſtris dare legibus irem.

Hæc ubi dicta; animos ſumunt, & poſtibus atris
Egreſſi, terras ſubeunt, Acheronte relicto.
Et primùm ſolitus germanos convenit hoſtis;
Has cerebro, mira pertentans arte medullam,
Immittit ſpecies: fœtus Styge ſcilicet ortos!

Stat puer hic ſcopulo pelagi, qui tunditur undis
Durior æquoreis, pario vel marmore pectus;
Quærite formoſam (hac ſuperabitur arte) puellã:
Calleat illecebras, durum cor molliet illis:
Effœtum illecebræ pectus, riſuſque moverent.
Si ſtetit uſque, gelu veluti correptus; ad ignem
Arida concipient incendia ligna propinquum.
Inventum arridet, curam hanc e fratribus unus
Suſcipit Arnulphus: petulantem protinus ille
Invenit, illecebris etiam mulcere ſeniles (lam
Doctam animos. Dæmon Venus hanc inſedit, in il-
Quam potuit formam maiorem contulit: illi
Æmula purpureis conceſſit labra corallis;
Certanteſque ebori dentes, & lumina Soli:
Et roſa apud frontem, atque genas, caruiſſe colore
Erubet; amiſſum candorem lilia credant.
Tertius accingit ſe Dæmon, peſſimus hoſtis;
Ignea tela parat, telis metuendus, & arcu;
Hæc acuit, validis incurvat funibus illum.

Venerat illa dies inſigni dedita pugnæ;
Famaque Cœlicolas, & clari nomina Thomæ
Excierant; multo complerant agmine circum,

Par-

Digitized by Google

Partim viſuri, partimque juvare parati.
Tum verò nigri commota eſt regia Ditis;
Subſidium latura frequens convenit & ipſa.
Aſpice nunc animum Thomæ,& victoria ab una
Diſce omnes: & ſic pariter certare memento.
Ingreditur mulier formoſa cubicula Thomæ:
Corripit ille manu titionem, territat igne,
Omniaque igne iſto ſuperantur tela Maligni.
Poſt hæc ipſo illo fingit titione ſalutis
In muro ſignum, quod humi proſtratus adorat.
Cœlicolis hæc pugna fuit gratiſſima; & inde
Victorem Angelico placuit deſcribere in albo.
Illorum ergo unus cœleſtia cingula donat,
Præmia victori; faciunt hæc cingnla caſtos:
Angelo ut æqualem reddant,cui nomen & addunt;
Exinde Angelicum merito cognomine dicunt.
Nos quoq; plaudentes Thomæ cantemus honores;
Omnia vincit Amor: ſed Thomas vincit Amorem.

MA-

Digitized by Google

MANIPULUS II.

ETHICA.

ADdidimus quædam, quæ moribus apta videntur;
Iſtis ſi careat, vana poëſis erit.

Concionator.

PRæconem ſyncere opto deſcribere ſacrum:
Non eſt res facili concipienda nota.
Iudicio dicenda bono res eligat opto:
Opto bonum; quis non optet? at opto parum.
Nuda etiam caveat prodire oratio: fœda
Auribus eſt: alias utilitate caret.
Opto etiam memori,qui plurima mente recondat:
Me rapit, admiror: ſed quid? inane ſequor.
Sacra velim dicat mihi ſenſa, prophana refellat:
Sacrum ſacra decent; libera vanus amat.
Actio non deerit; vires, & pondera verbis
Addet: in exanimi corpore ſpiritus eſt.
Omnia ſi adfuerint, nihil eſt, niſi vita probetur:
Ille erit ergo bonus, qui docet, atque facit.

Homo varius.

NUnc timet,aut ſperat; triſtis quandoq; videtur;
Nunc hilaris: varius ſic homo ſemper erit.

Digitized by Google

Triſtis honore ſuo eſt; jucundum infamia reddit;
Quod nocet, hoc ſperat; quod juvat, ipſe timet.

Omnia vanitas.

HOc age dum vivis, quod factum in morte probabis;
Tunc animus librat pondere quæque ſuo.
Tunc primum incipies, ſublato noſcere velo,
Tempora nequitiæ vana fuiſſe tuæ.
Præteritos, dices, ſi quis mihi redderet annos,
Quos male conſumptos ventus, & aura tulit.
Quid me divitias juvat accumulaſſe fugaces:
Eſtis opes inopes, ferre nequitis opem.
Nunc opus eſt, nunc uſus; opem, ſi ferre poteſtis,
Nunc date: deprimitis, nilq; juvatis herum.

Iterum.

AUlicus exopto cor Regis ſolus, & aures;
Optat amans Dominę ſolus amore frui;
Opto divitias Mercator; Doctor honores;
Opto parum, multum perdo, juvorque nihil.

Tempus, & Ratio.

COgit me Tempus Rationem reddere vitæ:
Sed Ratio debet Tempus habere ſuum.
Tem-

Temporis elapſi Rationem reddere juſtam
Tempore quis juſto deficiente poteſt?
Sed Rationem avidum Tempus differre recuſat:
Tempus enim Ratio ſprevit iniqua ſuum.
Ducere quando piger Rationem Tempore ſprevi,
Tempus reddendæ jam Rationis abeſt.
Quæ Ratio poterit Tempus ſubducere tantum?
Quod tempus dignum eſt hac Ratione ſatis?
Cur volui, Rationis egens, profundere Tempus?
Tempore conſtringor, ſed Ratione magis.
En morior, Ratione, miſer, ſine Temporis ulla:
Tempus enim elapſum nil Rationis habet.

Ratio, & Tempus.

TEmporis elapſi Rationem ut reddere poſſim,
Exiguo fieri Tempore poſſe puto.
Sufficit, ut doleam vel puncto Temporis uno:
Si vere doleo, reddita erit Ratio.
Si punctum obtineo felix hoc Temporis unum,
Quod reliquum eſt Tempus, deſpicit omne Deus.
Me Ratio timidum puncto de Temporis iſto
Reddit, quo Ratio redditur apta Deo.
Tempore nam punctũ hoc reputo pretioſius omni:
Temporis ut punctum hoc pungere jure queat.
Ut punctũ hoc habeã Ratio dat Tempora cuncta:
Ut Ratio conſtet Temporis æqua mei.
Si careo hoc puncto, conſumpſi Tempora puncto:
Si punctum hoc habeo, reddita ſic Ratio eſt.

Vita clepſydræ collata.

CLepſydra, labentes quæ pulvere congeris horas,
Labilis es vitæ triſtis imago meæ.
Tu ſchola lethali torpentes inſtruis arte,
Exiguo ſignans pulvere noſtra bona.
Sum caro, tu vitrum; prius ex non ente creati:
Ut fluis aſſiduo, ſic mea vita volat.
Laberis, & ſurgis, lapſu vexata perenni:
Deprimor, extollor; ſors mea nulla quies.
Mortua campani ſonitum tu ſurgis ad æris:
Excuſſo ſurgam pulvere voce tubæ.
Fabula vita mea eſt: in vitro ſcena paratur,
Præmia, ſubiectum, pulverulenta ſequi.

Dies, & hora mortis.

Acroſticha.

UNuſquiſque diem cognoſcere quærit, & horã,
Qua morietur; ego carmine dico brevi.
Improbus infelix geminam ſtertebat in aurem;
Polluerant animum crimina multa ſuum.
In ſomnis horrenda viri comparet imago:
Increpat hunc duris acriter ille modis.
Perlege, quas primas verborum ſigno figuras;
Inveniesque miſer, qua moriere die.

At·

Attonituſq; C.I.N.I.S formatas ille figuras
Conſpicit; horribiles explicat iſte notas.
*C raſtinus I ntrabit N equiſſimus I ſte Sepulcrũ:
C onſiliũ I mprudẽs N oluit, I ra S ubit.
Fixus at alter humi pulſabat ſidera votis;
Vir pius, & nullum lædere ſuetus erat.
Eiuſdem, ſed grata, viri formatur imago;
Illum placato dulciter ore monet;
Quas primas oſtendo notas, tu perlege lætus;
Atque, die vives qua meliore, ſcies.
Inde characteres hilaris deſignat eoſdem;
Et grato obſcuros explicat ille modo:
*C raſtinus I ntrabis N equicquã I uſte S epulcrum:
C œlos I uſtitiæ N omine I ure S ubis.
Craſtinus ergo dies tibi mortis. Quæris & horam?
Te docet hanc Chriſtus;* Qua minus ipſe putas.

**Hodie mihi*, *cras tibi*; . * *Qua hora non putatis*.

Ignes pulverei.

Qui ſe exaltat, *humiliabitur*. Lucæ 14.

COgitur in chartis pyrius, varioſq; cylindros
Pulvis habet; fragilis ducit arundo tubos.
Protinus arrepto per inane feruntur ab igne;
Mille trahunt ſpiras lumine, mille vias.
Fulminibus credas fulmen, ſtelliſque ruinam;
Et pavet ad tantas ignea ſphæra minas.

Sed cito ridiculi Iapeti ſublime volantes
  Igne crepant, fumus fuſcat, onuſque trahit.
Sic lapſu graviore ruit, ſublatus in altum,
  Quo ſalit imprudens arte, doloque malo.

Anatome.

Inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Rom. 1.

ARtificem Mundi Galenus in ordine novit,
  Quem ſervant hominis ſingula membra, ſuo.
Denegat Artificem hunc Epicurus, ventris amore;
  Et fatuus caſu cuncta creata putat.
Tempore Galeni cur non Epicure fuiſti;
  Sciſſus noviſſes: nam ſcidit ille ſues.

Opinio Democriti.

DEmocritusMundũ ex atomis conſtare volebat;
  Caſu hominem factum, non ratione, putat:
Cuncta, ait, a caſu, nihil eſt ratione coactum:
  Ergo etiam hoc caſu, non ratione putat.

Reprehenſio.

MOrdax Diogenes, Cynici cognomine notus;
  Vir bonus, hoc ipſo nomine lætus erat:
Nem-

Digitized by Google

Nempe nocendo canes inimico infigere morſum;
Mordeo ſed ſi te, dicit, amice, juvo.

Virgines Marianæ.

VIrgineus Maria Chorus tibi militat iſte;
Exque tuo lætus nomine nomen habet:
Lætior at Puerum cum Matre in pectore geſtat:
Nam melius geritur, quam gerat iſte Chorus.

Mora prudens.

FOrtis AMOR; fortis pariter fuit inclyta ROMA;
Vincitur at longa fortis uterque MORA.
Hac ego me, Sapiens inquit, feliciter ARMO:
Perfruar ut RAMO, quem MARO concelebrat.

Sapiens non indiget.

FErtur Ariſtippus Siculum petijſſe Tyrannum
Nummos, ſubſidium rebus, opemque ſuis.
Ergo. Dionyſius retulit, ſententia falſa
Eſt tua, quod ſapiens nullius indigeat.
Quod peto fac dederis; reſpōſio prōpta deinde eſt.
Donat. Ariſtippus ſervat, & iſta refert;
Nunc ego non egeo. Sapiens dominabitur aſtris;
Atque etiam burſis, dico; nec ipſe rapit.

Sapiens tacet.

MVltorum in cœtu Solon de more tacebat:
Nil loqueris, quia tu ſtultus es, unus ait.
Reſpondit, poſita, Solon placidiſſimus, ira;
Qui linguam reprimit, ſtultus is eſſe nequit.

Feſtina lente.

INcidi ego in quemdã, qui flumine tractus ab alto,
Dum properat, merſus tres ſtetit ipſe dies:
Dixi; per pontem vellet tranſire; minori
Tempore jam ſalvus poſſet is eſſe domi.

Vir fortis.

OPto virum fortem; quo ſim ſecurus ab hoſte;
Tu mihi das, ſed quem vulnus in ore notat;
A tergo vir iners, non, inquis, in ore feritur.
Non placet hic; da, qui vulnus in ora dedit.

In Quintium.

Retrogradum.

PAuperiem bene fert patiens haud pejerat hoſti
Quintius iratus laus bona non mala fraus.

Sa-

Sapiens non irridetur.

MVtua Flaminius viginti ſcuta recepit;
Et ſudariolo non numerata locat.
Tum ſudariolum capiens ego ſcuta reſumo;
Reddere non curat, qui numerare negat.

Iram Prudentia vincit.

IUrat Alexander; Lampſacum evertere certus;
(Norat Anaxamenem velle favere ſuis)
Si quid Anaxamenes petit a me, denego: at ille,
Te rogo Lampſacum dirue, cautus ait.
Iusiurandum adhibens, veniæ ſpem certius aufert,
Ut putat: at capitur retibus ira ſuis.

Vir pius.

Ura riget, nudi quare ſunt undique muri,
Et domus aulæis expoliata riget;
Quæ tua nobilitas, ornatas exigit ædes.
Non tego, ais, muros, unde tegatur inops.

Amicus uſque ad aras.

QVod peto non præſtas,& te profiteris amicum
Neſcio, quid tua mî proſit amicitia.

Exi-

Exige quod debes: ſi, quod non debeo, poſcis,
Non modo non prodeſt, lædit amicitia.

Amicus menſæ.

PRandia ſæpe dabas, mutaſti Maxime mores:
Neſcio, quid tua jam proſit amicitia.
Quæ tua ſunt, tua ſunt; mea vis communia tecum;
Novi, quod tua me lædit avaritia.

Tempus pueris ſtat, ſenibus volat.

QVid cauſę eſt, pueris quod tēpora lōga vidētur:
At contra reputant hæc breviora ſenes?
Hora dies puero cenſetur; menſis in annum
Tranſit; & hunc unum luſtra fuiſſe putat.
At quam præcipites currunt ſenioribus anni!
Sic querula ſemper voce volare dolent.
Nonne intellectu regitur duce cœca voluntas?
Quis pueros neſcit mente videre parum?
Unde voluntati proponit pauca ſequenda:
Pauca ſequenda dedit, pauca fruenda dabit.
Qui fruitur paucis, multis fortaſſe dolere
Convenit: hoc pueris tempora longa facit.
At ſenibus contra; quibus intellectus apertus
Plura voluntati grata fruenda dedit;
Tempora dimanant, velut improviſa, fruenti:
Hęc ratio ſenibus tempora curta facit.

An

Digitized by Google

An puer imperio ſuſpirat abire magiſtri ?
Imperat; imperio nollet abire ſenex.

Iuventus.

IMprudens, incauta, ferox, & cœca juventus
Sperat, non vult, vult, reſpuit, optat, amat,
Proſpera, virtutem, vitium, bona, vana, nociva:
Mento barba deeſt; eſt quoque mentis inops.

Peccatoris fiducia.

QVi ſolet ad culpas temerarius addere culpas,
Neſtoreos ſperat credulus ille dies.
Demus id erranti: Poliphemi munere gaudens,
Ultimus ingluviem Dæmonis ille ſubit.

Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Iob. 21.

DUm fugit indigni probrum Cleopatra triũphi,
Lactea crinali brachia pungit acu.
Sic, quæ in delicijs fugientia tempora vitæ
Duxerat, in puncto Tartara nigra ſubit.

Præſcientia Dei.

Ex S. Aug. de prædeſtin.

NEmo Deũ,bonus eſt etenim,qui cogat,habebit:
Sed, quod tu facies, prævidet ille ſcelus.
Cur igitur juſtus non vindicet ille peractum,
Quod peragi longe præſcius ille videt.
Sicut nemo memor cogit, quod præterit, eſſe;
Libera ſic linquit nota futura Deus. (ſervat;
Quædam & patrat homo, memori quæ mente re-
Omnia, quæ meminit, non tamen ipſe facit;
Sic, quorum eſt autor, meminit Deus: aſt aliorum
Non malus eſt autor, juſtus at ultor erit.

Vis ſalvus fieri?

ABſque Deo nihl eſſe poteſt;quãdo ergo volũtas
Libera vult aliquid, non erit abſque Deo.
Ergo voluntati nimium ne fide ſuperbus;
Si vis, ſalvus eris, non tamen abſque Deo.
Nec diffide piger: nolentem ignavia perdit:
Vis ſalvus fieri, dic, volo; ſalvus eris.

Fons ſacrarij.

FOns puras tibi fundit aquas, accede; Pilato
Ne fueris ſimilis; corda, manuſque lava.

Tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Gen. 2.

OMnia cor hominis, velut arcem, viſcera vallant;
Prævalidus thorax anteriora tegit;
Oſſa ſed a tergo munimen fortia præbent;
Coſtarum crates cingit utrumque latus.
Quando fit mulier, diſnectitur oſſea crates;
Inde voluptati janua laxa patet.
CASTO COSTA viro caro fit; ſic deſinit eſſe
Caſtus; at ablato mollis ab oſſe caro.

Paſtor, Mercenarius, Latro, Lupus.

SErvat oves Paſtor; lac Mercenarius optat;
Frangit Latro fores; vaſtat ovile Lupus.

Philoſophus Cynicus.

ACriter in luxum Cynicus declamat, ut hoſtis;
Qui baculum & peram iactat habere ſatis.
Deci-

Decidit incauto cariſſima pera; levatur;
Cum ſpeculo talos continet. En Cynicum!

Novus Chriſtianus.

ALtus erat fluvius, nec erat qui vellet inire,
Quando vir illuſtris conficiebat iter.
Neſcio quis famulus, qui forte neophitus unus,
Tranſmeat audacter, dux reliquiſque fuit.
Multi admirantur, quia gens hæc plena timoris:
Sed timet hæc ignem natio, fidit aquæ.

Hebræi Hiſpania pulſi.

CUm pius inſtituis Fidei Fernande tribunal,
Gens Recutitorum vertere juſſa ſolum.
Hæc fuga quid ſibi vult, quidam diſquirit ab uno;
Unum, ait, occidi: mors mihi cauſa fugæ.
Mirum, ait ille, quod has omnes fugiatis in oras,
Quando uni tantum mors violenta data eſt!

In Macchiavellum.

UTile quidquid erit, regni præſtetur amore:
Maxima res regnum eſt, Macchiavellus ait.
Outinam, quem tu docuiſti, Borgia Cæſar
Hoc bene noviſſet, te ignibus ille daret.

Ite-

Iterum.

QVod regnis aditum excludat doctrina Salutis,
Impius in Papam Macchiavellus ait.
Magna vel in terris Papæ tamen eſſe poteſtas
Cernitur: at nuſquam Macchiavelle regis.

In Marcellum.

DVm ſacra Marcellus peragi myſteria ſpectat,
Huc, illucque oculos uſque movere ſolet.
Cur non centũ oculos tribuit tibi Numen,ut Argo?
Vertendi ſe non Argus habebat opus.

Avarus, & invidus.

INvidus unus erat, quo tempore & alter avarus:
Quam bene conveniant hi duo,ſcire cupis?
Veſter erit, quodcumq; animus dictaverit, ex me
Expectare labor, Sylla duobus ait:
Addita conditio, prior ut, quodcumque rogarit,
Obtineat, duplum poſteriorque ferat.
Nemo rogare prior voluit: tandem invidus inquit;
Unum oculum, quando ſum prior, eruite.

Invidus.

INvidus Æthiopi par eſt, qui proximus Aſtro
Horret, non ſplendet lumine, pelle niger.
Invidus, æternis ſi forte locetur in Hortis,
Illi non felix hic locus, Orcus erit.

Deſidiam accuſo.

DEſidiam accuſo: multorum eſt illa malorum
Mater; & eſt operis ſæva noverca boni.
Deſidiam Satanæ pulvinar molle vocabo:
Deſidioſus ut es, ſic vitioſus eris.
Tempore, quo Reges ibant ad bella, remanſit
Deſes in urbe David, factus adulter & eſt.
Filius at Salomon regnans in pace, Deorum
Fit cultor; ſapiens vilia ſaxa colit!
Otia qui laudat, podagra vexatus ad æther
Voces ille jacens mittere dignus erit.

Otia commendo.

OTia commendo: multorum forte bonorum
Diſpliceat recto fons, & origo viro?
Peccat Adam; quænam peccanti pœna? Laboret.
Reſpice, qui damnas otia, pœna labor.

Bella

Bella moves: quantos debes tolerare labores?
Sed quid? ut optata pace fruare, moves.
Septima lux, mandante Deo, facit otia nobis:
Otia tu damnas: imperat illa Deus.
Otia ſunt igitur longe anteferenda labori:
Attamen explico me, ſi ſapientis erunt.

Anima purgans.

Echica.

HIc, ubi Divinæ meritum perſolvitur iræ,
Pars hominis melior ſic cruciata gemit.
Iuſte Deus reddis pœnas, & præmia dignis.
IGNIS, ab Angelico perſonat ore locus.
Ignis, eheu, quantis torques mea pectora curis?
URIS, ab attenta carpitur aure ſonus.
Uris, & experior, dum non eſt pœna remiſſa.
MISSA, levi reſonat vox bene grata ſono.
Miſſa relaxabit? precor, o, mittatur abunde:
UNDÆ more rogum temperet illa meum.

Modeſta in adverſis querela.

Echica.

DIc mihi ſolivagis errans in vallibus Echo,
Quid faciet patiens vulnera? Clamet? AMET.

Sed miſeri in barathrū peccando pergimus. IMUS.
Morſne ibi, quæ ſocijs dura ſit, & ſibi ? IBI.
Mite flagellum ergo eſt, cum vita in limite. MITE.
Quod foret æternum, tunc breve lædit. EDIT.
Fi niserit; nam quod quis edit, conſumitur. ITUR.
Itur an in patriam, quæ viret inclita ? ITA.

Lex.

QVam ſimilis telæ, quam texit aranea, lex eſt:
Magna illam lacerat beſtia, parva cadit.

Perſeverantia.

ARea quando terit fruges, nil fortia ventum
Grana timent; paleas corripit aura levis.
Sic, quæ perſtiterit virtus tentata, coronam
Accipit: invictus præmia miles habet.

Puer in bivio.

Acroſticha.

PErſtat, & in bivio poſitus, quo dirigat, hæret,
Qui tria complevit vix bene luſtra puer.
Convenit hunc ficta perfuſus luce capillos,
Inſidias homini qui ſtruit uſque Malus:

Quid

Quid ſit MUNDUS, ait, volo te perpendere mecũ;
Ordine quid ſignet, collige, lectus apex.
*M*ultus *V*bi *N*emo *D*urabit, *V*ive Solutus:
*M*ors *V*bi *N*udarit, *D*ulcia *V*elle Sinis.
Aliger excelſo deſcendit ab Æthere miſſus,
Candidus, & vero lumine forma nitet.
Doctrinam falſi male diſcis ab ore magiſtri,
Inquit; & hoc ſenſu, cerne, legendus erit.
*M*ortuus *V*t *N*ũquam *D*ãneris, *V*ivito *S*ãctus:
*M*entẽ *V*t *N*obilitet *D*igna *V*idete *S*alus.
Noſcere vis primi fraudes, arteſque magiſtri;
Ecce notis paribus conſpiciendus erit.
*D*eſtruit *Æ*ternũ *M*ẽdacibus *O*mnia *N*odis:
*D*efectus *Æ*qui *M*ens *O*perata *N*otat.
Qua meliore tui vigeas, advertere prudens
Parte velis: refert quod bona, non mala ſit.
*A*ngelicam *N*aturam *I*mitatur *M*oribus *A*pta;
*A*ltum, *N*atura *I*udice, *M*unus *A*mat.
*A*ncillata, *N*oviſque *I*ncõſtãs *M*otibus *A*cta,
*A*rma *N*ecaturæ, *I*uraque *M*ortis *A*lit.

FIDES.

Acroſticha.

TOtius ingenij vires aptaverat acer
Auguſtinus, & hoc pondere feſſus erat.

Interea pedibus graditur, ſed corde volutat,
Quatenus attingat magna ſecreta Dei.
Præcipue Triadis tentat myſteria ſummæ,
Quomodo Perſonæ tres Deus unus erit:
Quomodo inauditum generetur origine Verbum;
Et, quod non cœpit, ſuſcipit Eſſe tamen.
Quomodo ab alterno ſpiretur amore Beatus
Ardor, & æterno vinciat Igne ſimul.
His ſuper intentus, gradiens in litore ponti,
Incidit in Puerum, qui mare ſiccat aquis.
Ridentiq; ſcopum Pueri, ſic Aliger inquit;
(Aligerum facta, & dicta fuiſſe docent.)
Hac prius immenſum foſſa collegero pontum,
Quam valeas ſummum prendere mente Deum.
Falleris, ingenio credens attingere Numen;
Inſtruet, ut capias, ordine primus apex.
*F*æx *I*ntellectus *D*epellitur, *E*t Sapienter
*F*elix *I*ngenium *D*eſinit *E*ſſe *S*uum.

Vere novo vita nova.

VEre novo veſtes amiſſas terra reſumit,
Floribus & varijs ornat honeſta caput.
Vere novo zephyri rident, aquilone remoto,
Diſcit & in pictis ludere ventus agris.
Vere novo modulis reſonat philomela canoris,
Omnis & in ſylvis garrula cantat avis.

Ve-

Vere novo radijs ſol ornatiſſimus exit,
  Purior argento candida luna micat.
Vere novo pingues currunt armenta per agros,
  Et carpit facili paſcua dente pecus.
Vere novo placido compeſcitur æquore pontus,
  Et volitat poſitis per mare mergus aquis.
Vere novo gemmas pueraſcens exerit arbor,
  Atque iterum viridi cingit honore comas.
Vere novo gelidæ ſolvuntur frigore brumæ,
  Compactum fluvius frigore ſolvit onus.
Vere novo violæque,roſæque,& lilia florent,
  Atque oculis habitu verſicolore placent.
Vere novo ſurgit clauſo de marmore Chriſtus;
  Impiger ad vitam tu quoque ſurge novam.
Iuſtitiam repetas, quæ veſtimenta ſalutis,
  Virtuteſque alias accumulare ſtude.
Paſſio, ſepoſitis væſanis motibus, abſit:
  Diſcat ut in ſacra ludere fervor Ove.
Divinumque alacris modulatio cantet honorem;
  Concinat & læto pectore lingua Deum.
Feceris hoc, rutilo ſolem ſplendore præibis;
  Cordis eritque tui lumine luna minor.
Gaudia contemplans Patriæ, ſacra paſcua plenus
  Excipis; Ægypti pabula proijcies.
Nil,quod turbet, erit, dextram ſi in pectora pones;
  Compoſito ridet corde quietus homo.
Virtutum ſoboles nova cordis ab arbore ſurget,
  Quippe novis ſemper viribus ardet amor;

Concretum ſolvit peccati frigore pectus:
Frigida non patitur pondera, ſolvit amor.
Fortis eris, caſtus, prudens, & juſtus; & iſto
Vere nouo gaudet, Chriſtus, amatque frui.

Animæ immortalitas.

IMmortalem animam teſtatur Pagina ſacra:
Credo utique,& promptus ſanguine teſtis ero,
Sed cuperem, quod credo, aliqua ratione probari:
Floret ab adjuncta nam ratione fides.
Immortalis ego fieri deſidero, & omnes
Hoc cupiunt: quis non vivere ſemper amet?
Hoc deſiderium dederit Natura, quod eſſe
Non queat? An cunctis irritus eſſet amor?
Quidquid agunt homines,æternum nomen anhelãt:
Præmia virtuti num peritura dabis?
Scilicet æqualem nobis animalia ſortem
Infelix, & inops mentis habere putes?
Ulterius vado, phyſicaque indagine pergo:
Convincor phyſica nam ratione magis.
Mens abſtracta capit, conjungit, & abſtrahit: ergo
Materiæ ſimpla, & limpida fæce caret.
At ſi materies parcit, quis deſtruet illam?
Materia eſt omnis fons, & origo mali.
Non placet hoc? Menti fortaſſe placeret acutæ:
Accipe quod refero, ſat ſcio, gratus eris.
Pul-

Pulcra Anima eſt veri ſedes, ſine ſede nequibit
Hoc verum eſſe: ſed hoc, vir bone, ſemper erit.
Tu mihi forte negas: ſed crede, probabo neganti;
Si non ſemper erit; ergo perire poteſt.
Et pereat, quia vis: neque tunc, mihi crede peribit:
Nam verum eſt, verum tunc periјſſe tuum.
Semper erit verum concedere cogeris: atqui
Veri Anima eſt ſedes: ergo ea ſemper erit.
Beſtia ſit, mortalem Animam qui dicere tentet;
Et, caro ne puteat, vult ſalis eſſe loco.

Æternitas.

AEternum curioſus ego cognoſcere vellem:
Vincit at ingenium quæſtio tanta meum
Annulus eſt forſan, cujus perfecta figura
Principio, medio, & fine rotunda caret?
Circumfert illum digitus. Mens noſtra vagatur
Semper, & Æternum noſcere quęrit adhuc.
Anguis erit, caudam qui vellicat ore tenaci?
Hoc magis exemplum vellicat ingenium.
Dicam præteritum? Præſens eſt, atque futurum:
Et ſi præterijt, qualis origo fuit?
Cautius, & melius fortaſſis dixero præſens:
NUNC habet Æternum, partibus idque caret.
At ſi credidero, me jam contingere punctum,
Fallor ego: Æternum ad puncta reduco? caret.

Præteritum non eſt, non præſens; ergo futurum :
Contra; nam quod erit, iam prope dico nihil.
Dicam præteritum, & præſens, pariterque futurũ;
Dico; ſed dictum vix capio ipſe meum.
Æternum ſtudioſus ego diſquirere ſiſto :
Res eſt ingenio fortior iſta meo.
Non capio Æternum; Deus eſt, & concipit unus :
Quando ego non capio, me capere ipſe velit.

Epitaphium L. B.

QUæſivi requiem : ſed non reperitur apud vos:
Incepit requiem terra benigna dare.
Oro Deum veniam; requiem mihi tu pius ora;
Optabis requiem, lector amice, parem.

DE SANCTA
ROSALIA VIRGINE

Argumentum.

Anno 1625. Panormitanam urbem, quam Felicem dicunt, lues invaſit: urbs; tunc infelix; S. Roſaliæ civis ſuæ corpore invento, eius apud Deum advocatæ precibus liberatur.

MUnera de Cœlo, Roſalia dante, Panormus
Multa tulit; quæcumque poteſt optare, Beata
Dante feret. Sic Diva ſuam ſibi protegit urbem!
Abſit, ego Muſas, te, te Roſalia, vocabo:
Non colo Parnaſſum, ſacrum peregrinus in Erctã
Pergo libens: aderis devoto, Diva, Poëtæ.
Nuper, corruptis pannis, cum lethifer annus,
Cœperat infecto morbos afflare veneno,
Poſtea ſe magnam diffudit virus in urbem:
Permiſtos ſenibus juvenes raptabat atroci
Funere Mors, inhians prædæ; maribuſque puellas
Impia jungebat, nullo diſcrimine ſexus.

Tunc

Tunc ſuper ægrotum, correptus peſte, cadendo
Opprimit incautus, dum vult ſervare, miniſter.
Iamconſanguinei lacrymæ ſpernuntur, & odit
Germanus fratrem, genitricem filia linquit.
Mors,languor,gemitus, lacrymæ,ſuſpiria, planctus,
Dira fames, macies tota dominantur in urbe.
Immemorem quandoque Deus ſic vellicat aurem!
Et quamvis plene Præſul, totuſque Senatus
Iuverit infirmos: homines fecêre, quod ipſis
Conceſſum:quis ſupra hominem conſcédere poſſit?
Attamen exiguus magnum conjectus in ignem
Tunc liquor, extinguendo impar.Humana facultas
Succubuit. Vires ſuperant elementa viriles!
Ergo; corporibus quando jam nulla juvabant
Auxilia; ut ſaltem conetur adeſſe ſacerdos,
Qui peccata lavet, recreet qui pane ſalutis,
Proviſum: multique, animo vincente timorem,
Sponte ſua certæ ſubiêre pericula mortis,
Exemplo egregio. Sic Campitellus obivit,
Atque alij,quos Ordo meus,nova planta,Minorum,
Produxit; ſimiles iterum tolerare labores
Promptus. At avertat Divina potentia caſum.
Sed neque iam ſat erant, qui, pleni corda calore
Cœleſti, valeant, multi licet, omnibus eſſe
Præſto: nam ſuperant diri contagia morbi.
Illi protrahitur morbus, cadit iſte repente:
Et dum currit ad hunc, revocatur protinus illi
Presbyter, & veniens animam exhalaſſe fidelem
Anxi-

Anxius heu! cernit: tetigit præcordia virus!
Cœlicolis urbis facies tam fœda (capaces
Triſtitiæ fingas) planctum expreſſiſſet amarum.
Ingens præ reliquis mordebat cura Beatas,
Quæ natale ſolum vexari turpiter ægre
Ferre videbantur. Verum decreta legentes
Alta Dei, veniam tacite, pacemque precantur.
Quod mirere magis, Genitrix quoq; magna To-
Concepto voto rite exorata per urbis (nantis,
Rectores, puram quod corde teneret, & ore
Syllepſin; faceretque ſacrum devota quotannis;
Diſtulit illa tamen miſeros audire precantes:
Scilicet illa ſuæ ſervabat vota Clienti.
Eſt locus in ſummo Cœlorum vertice; Dextra
Dicitur æterni Patris, ſeu ſumma Poteſtas
Tradita pro meritis; vereq. Theandrica ſedes.
Hanc ſedem, atq; locum fuſo ſibi ſanguine Chriſtus
Extulit, & rediens fundavit in æthere victor.
Iſta ſede ſedens Chriſtus volvebat acerba;
Nempe graves hominum culpas pertæſus ab imo
Pectore, fulminibus ſtatuit diſperdere duros.
Ecce tibi placidum gradiens pulcerrima Virgo,
Divinum cui forma decus, cui ſerta roſarum
Tempora cingebant, bini quam rite præibant
Aligeri, manibuſque roſas diſpergere ſemper
Intenti; ut Divæ dotes, & nomen adumbrent.
Pone ſequebatur Reverentia Majeſtatis,
Virtus tota humilis: ſocia eſt, quæ pectore caſto
Pura

Pura nitet; queis viva Fides, Oratio fervens
Adiunctæ: tandem Virtutum nulla deeſſe
Suſtinuit: cunctas, dum viveret, illa colebat.
Ut Chriſtum ante ſtetit vultu Roſalia decoro,
Purpureas ſuffuſa genas, ſic Diva profatur.
Illa ego, nobilibus quæ nata parentibus olim,
Margine ubi exiguo muros allambit Oretus
Ingentes, & aquas dulces permiſcet amaris;
Sanguine, divitijs, ſpeciē ſpectanda, reliqui
Omnia; meque cavo recluſi læta ſub antro:
Noviſti, tibi nota loquor, tua dona recordor:
Attritæ propono tuis obtutibus urbis
Relliquias: fœde laceravit viſcera peſtis.
Nullus fulminibus ſtatuetur iam modus? Ergo
Iuſtitiæ ſemper locus; & Clementia nullum
Inveniet? Semperne ferox tua fulmina mittes?
Iuſtus es: at noſtrum neſcis mitiſſime Iudex
Figmentum? Laceras tuā viſcera, quando ſecuri
Percutis. Optatam quandoque ſiniſtra quietem
Accipiant: ſi juſtus enim tua fulmina ſemper
Miſeris, exiguo ſtatueris tempore ſolus.
Reſpice contritos animos, & corda tuorum;
Peccavêre, dolent: illos peccare ſolere
Tu bene noviſti; proprium eſt ignoſcere Chriſti.
Per veniam recreata tuam miſeranda Panormus
Incipiet jucunda ſuos attollere vultus,
Atque renaſcentis primordia ſumere vitæ.
Talibus oranti Divæ placidiſſima contra

Dat

Dat Chriſtus reſponſa. Tuus, dilecta, quod optas,
Explorare labor; dilectæ quis neget unquam,
Quod velit? Et terræ, ac cœlo mandabo, vel aſtris,
Quod petis ut faciant. Ad nutum pervia cedent
Omnia; ſubſident montes, mutabitur aër;
Flumina, ſuſpenſo, linquent vada ſicca, meatu.
Noſtrum Numen adeſt miſeris, ſi quando vocatur:
Aſt ubi pro culpis tanta intercedit apud me
Oratrix, mitis gladium vagina recondit.
Nam collata tibi lætus mea dona recordor:
Dona fuêre, dedique lubens, mea diligo dona;
Dona fuêre quidem, ſed non tamen irrita dona:
Grata laboraſti; ſiccam neque ſemina terram
Invenêre; dedit fructum fœcunda. Quid ultra
Expectare velim? Quiſquinæ pergis in antrum;
Quod potuit tibi clara domus promittere, id omne
Spreviſti; ſuperaſti omnes generoſa labores:
Nec quid amor, quid erant hominis connubia, prorſus
Curaſti, ſolum divino ſemper amore
Arſiſti; nec, pura tuas niſi, flamma medullas
Exuſſit. Linquens Quiſquinam, pergis in altum
Bivonæ ſecreta nemus, ſecretior Erctam.
Iſte tuos, promitto tibi, retinebit honores;
Mons alias incultus, & aſper, & horridus: atqui
Pervius ecce tuo reddetur nomine: nempe
Saxum horrendum ingens, ubi multos Virgo per-annos

An-

Angelicam in terris duxiſti candida vitam,
Jam multorum ex nunc pedibus calcabitur: et te,
Quæ multos ibi jacuiſti ignota per annos,
Agnoſcent; quæ dira lues diverberat urbem,
Poſteaquam, cara, expuleris: tibi namque ſalutis
Copia reddendæ miſeris, ſic impero, facta.
Hæc ubi dicta, ſacros Roſalia advolvitur ante
Prona pedes: dextram Chriſtus protendit,& illam
Stare iubet. Grates imo de corde volebat
Jlla referre. Animum novi, dilecta, benignum,
Chriſtus ait; referes alio mihi tempore grates;
Nec mora, nec requies, miſeris ſuccurrere perge.
Accipit in cives reſponſum Diva benignum:
Protinus ergo citas componit Spiritus alas;
Spiritus ille, ſuo ſejunctus corpore quamvis,
Affectus retinet, ſed puros, ſemper amoris
In patriam, cordi quos viva repreſſerat alto.
Spiritus hic oculis hominum non ſubditur impar;
Viſilis, adſcito, mira ſed redditur arte,
Corpore, cœleſti radiat quod luce decorum.
Corpore ſic ficto, tenues dilapſa per auras,
Civibus ut faveat, notum ſibi venit in Erctam.
Venerat huc alto transfixus corde Silanus
Venatum, canibus ſolis comitatus, & una
Bombarda: ſic ipſe ſuum ſuperare dolorem
Sperabat pulcræ conceptum morte maritæ.
Hunc ergo alloquijs affatur Diva benignis,
Hæc in verba; Deo placuit pietatis habenas
Arbi-

Arbitrio deferre meo; civeſque levandos
Tradere; præteritæ nec me diſcrimina peſtis,
Præſentiſque latent; ſortem miſerata caducam
Auxilium latura adſum, finemque dolori,
Numinis auxilio freta; hoc deferre Panormo
Debeo, quando mihi magno ſervire Monarchæ
Patria conceſſit: nam me deduxit in auras
Vitales, lucique dedit: præcepta ſalutis
Prima dedit, quæ deinde beata adolevit eremus.
Perge igitur, pareque Deo: Rectoribus urbis,
Illi præcipue, Tyrio qui a Cardine nomen
Deducit ſacrumque pedum, ſceptrumq; gubernat,
Vade refer; contritæ urbi ſum prompta ſalutem
Reddere: ſed tandem lites, & jurgia ceſſent;
Quodq; meũ invenit, jã ceſſet quærere corpus.
Erecta quidem tenuit; locus ecce, en cella ſub an-
tro:
Ipſe meum clauſa Præſul cuſtodit in aula
Corpus, habetque domi. Miracula multa patravi;
Ipſa fidem faciant. Digna jam corpus in arca
Ponat, & in templo tandem majore reponat.
Illuſtrare Deus tali decrevit honore
Me famulam; fugi quia viva libenter honores:
Sic & honorantes ſanabo ſedula cives.
Utque tuis adhibere fidem jam nemo recuſet
Dictis, tu quarta morieris luce: ſuperſtes
Eſſe nequis, poſtquam divinos cernere vultus
Eſt tibi conceſſum. Sic digerit omnia Virgo
Ci-

Civis ; & æthereas dilabitur illa per auras .
Sed non Diva fugis , nobiſcum ſplendida factis
Tu remanes , peſtemque tua depellis ab urbe .
At tua ſplendet uti , depulſa , gloria, peſte ,
Ex animis dignare luem depellere culpæ ;
Sic tibi devotus vates rogat , obſecrat , orat .

MANIPULUS III.

POLEMICA.

Poſtea, ſtultitiam contra, reſpondeo ſtulto:
Ne non deſipiens eſſe putetur Oën.

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM

PHILIPPVM THOMAM

NORFOLCIVM.

Sanguinis, ingeniique tibi dedit Anglia donum;
Fertilis excelſis, Patria ſi qua, viris.
Sed, quod ego doleam tecum, doleantq; Fideles,
Hæreſis eſt fœdo commaculata luto.
Aſpice, quæ nunc eſt, & quæ fuit Anglia quondam,
Excuſſo pedibus pulvere diffugies.
Hoc bene monſtraſti, titulos, & prædia quando,
Et veſtem fugiens exuis ipſe tuam.
Redditur at nudo digniſſima Purpura veſtis:
Ut primus ſedeas, ultimus eſſe volens.

In Ioannem Ovvenum.

QVando iocos lepidus, non ſeria, tractat Oënus,
Provenit ex verſu gratia multa ſuo.
Porrigit in dulci fel miſtum melle Poëta,
Erroreſque ſuis verſibus ipſe ligat.
Ludit enim, læditque ſimul; Sardonicus unde
Qui placet exoritur riſus, & ipſe nocet.
Antidotum præſens ut poſſit adeſſe veneno,
Viſum eſt verſiculis tergere verſiculos.
Ne crepidam pergat ſutor temerarius ultra:
Carminifex fuerit, theiologuſne fuit?

Schiſma Angliæ.

IVſtitiam cognoſce Dei mirabilis, Anglos
Perpendens animo, quos fera bella premunt.
Pellicis inſano furioſus amore Bolenæ,
Rex negat Urbani filius eſſe Patris:
Perſequiturque Fidem, Fidei Defenſor iniquus;
Sic titulum ſine re perfidus hoſtis habet.
Conſenſit populus, per vim ſeductus, & aſtum;
Et ruit inſano ſub duce vera Fides!
Vera Fides abijt; credendi mille figuræ
Irrepſêre; regit regula nulla Fidem:
Unuſquiſque ſibi ſtatuit, quod credere debet:
Huc veniunt, ut Regem tollere jure putent.

Ovve-

OWENUS LIBRO I.

pag. 3. *Ad Lectorem.* *epig*, 2.

QVi legis iſta, tuam reprehendo, ſi mea laudas
Omnia, ſtultitiam: ſi nihil, invidiam.

Apocriſis.

OMnia perlegi; reprehendo, tranſeo, laudo:
Invidus, aut ſtultus non ero, liber ero.
Tranſeo furta, ſales laudo, laudoque poëſin:
Multiplicem, aut ſolam ſed reprehendo fidem;

p. 7. *Rhetorica nova.* *ep.* 39.

QUi caret argento, fruſtra utitur argumento:
Qui dare ſcit, non qui dicere, Rhetor erit.

Apocriſis.

QUi probat argento, forti utitur argumento:
Rem datione gerit, non ratione regit.

p. 7. *Inſignia Genevenſium.* ep. 41.

CLavẽ, Aquilamq; gerit, duplex Inſigne Geneva:
Illud Papatus, hoc habet Imperij.
Hoc Inſigne tuum quo jure Geneva tenebis;
Si repetat clavem Roma, Rodulphus avem.

Additur.

CLavis, aviſq; tuum ſpurium eſt Inſigne Geneva:
Vis avis, & clavis perfida clavus erit.

p. 11. *Sacerdotes.* ep. 78.

PResbiteri uxores duxêre: quid inde lucrantur?
Scilicet in decimis hoc habuêre prius.

Apocriſis.

PResbyteri veſtri duxêre: quid inde lucrantur?
Merx nex, nox, nix, pix, ſtridor, & ardor erit.

p. 21. *De Seipſo.* ep. 170.

QUi petit, accipiet, Iacobus Apoſtolus inquit.
O ſi Iacobus Rex mihi dicat idem.

Apo-

Apocriſis.

REx tibi Iacobus, pete, promptus, & accipe dicat:
Quid, niſi * Iacobos, promptior ipſe petes.

* *Iacobi ſunt nummi Anglici.*

p. 22. *Ad librum.* *ep.* 173.

ME vivo moriêre liber fortaſſe: quid inde?
Sæpe ſenem moritur filius ante patrem.
Seu moriare igitur vivo me, ſive ſuperſtes
Sis mihi; mortalem me genuiſſe ſcio.

Apocriſis.

QUi tibi contigerit finis, qua morte perijſti,
Nil moror; exuſtum te genuiſſe ſcio.

p. 23. *Ad Lectorem.* *ep* 1.

NE placeant ſtultis, quorum ſunt omnia plena,
Carmina non multis noſtra placere volo.
Sat mihi ſunt pauci lectores, eſt ſatis unus:
Si me nemo legit, ſat mihi nullus erit.

Digitized by Google

Apocriſis.

NE placeant ſtultis, ſaltem ſapientibus illa
Carmina debueras velle placere tua.
Sat tibi ſunt pauci, lector tibi ſufficit unus:
Scripſiſtine probis? Sat tibi nullus erit.

LIB. II.

p. 23. *Aula.* *ep.* 7.

QViſquis in ambigua ſe non accommodat aula
Omnibus ingenijs, non habet ingenium.

Apocriſis.

AMbigua quiſquis ſeſe conformat in aula
Omnibus ingenijs, multum habet ambigui.

p. 24. *Ad Iacobum Regem Defenſorem Fidei.* *ep.* 15.

MAximus es Regum, Fidei qui caſtra ſequuntur:
Nempe tuæ Fidei creditur ipſa Fides.

Apo-

Apocriſis.

MAximus es Regum, Fidei qui caſtra relinquũt:
Nempe lupo Fidei creditur ipſa Fides.

p. 25. *Ad Comitem Salisburiæ, Robertum* *ep. 17.*
Cecilium Regis ſummum Secretarium &c.

TU ſecreta tibi regnorum credita ſervas:
Eſtque tuæ fidei ſemper habenda fides.

Adulatio tollitur, veritas aperitur: fuit enim Catholicorum maximus perſequutor.

PAr Iudæ, ſacrata Dei myſteria calcas;
Eſtque tuæ fidei nulla adhibenda fides.

p. 28. *Franciſcus Drakus.* *ep. 39.*

DRake, pererrati novit quem terminus Orbis,
Quemq; ſemel mundi vidit utrumq; latus.
Si taceant homines, facient te ſidera notum;
Atque Polus de te diſcet uterque loqui.
Plus ultra, Herculeis inſcribas, Drake, columnis;
Et magno, dicas, Hercule maior ego,

Apocriſis.

DRake, flagellati novit quem terminus Orbis,
Quem furem mundi vidit utrumq; latus.
Si taceant homines, facient te crimina notum:
Nam tua furta nimis novit uterq; Polus.
Herculis exuperas prædando, Drake, columnas:
Vincere te, ſicut cætera monſtra, nequit.

p. 41. *Epitaphium Draki.* *ep.* 148.

RElligio quamvis Romana reſurgeret olim,
Effoderet tumulum non puto, Drake tuum,
Non eſt quod metuas, ne te combuſſerit ulla
Poſteritas: in aqua tutus ab igne jaces.

Apocriſis.

RElligio, quæ ſtat, Romana reſurgere neſcit;
Nec tumulum curat peſſime Drake tuum.
Merſus aquis, noſtro ſi tutus ab igne videris,
Non ita tartareo tutus ab igne jaces.

Mo-

p. 41. *Morus moriens.* ep. 152

ABſcindi paſſus caput eſt a corpore Morus:
Abſcindi crines noluit a capite.

Apocriſis.

(illi;
CUi caput eſt Chriſtus, caput haud abſcinditur
Viſile eiq; caput Papa quoq; Urbis erat.

LIB. III.

p. 48. *Ad Lectorem.* ep. 3.

NE tibi non placeant vereor, mea carmina lector
Candide; ne placeant, lector inepte, tibi.

Apocriſis.

MUlta placere nigro lectori carmina noris:
Candidus expungit plurima; nigra tamen.

p. 48. *Ad Hollandum.* ep. 5.

TU non invita geſſiſti bella Minerva,
Anglorum Pallas dum tibi ferret opem.

Apo-

Apocriſis.

ADjuvat inſanos Furiarum quarta gigantes,
Quando Deo & Regi bella rebellis habet.

p. 48. *Eliſabethæ nuper Anglorum Reginæ virginis partus.* *ep. 4.*

SCotia nobiſcum gentem concreſcit in unam;
Iſte tuæ partus virginitatis erat.
Eſt unire magis quam multiplicare beatum;
Tuque magis felix non pariendo paris.

Apocriſis.

SCotia vobiſcum ſectam concreſcit in unam:
Virginis hic partus, vel Ieſabelis erat?
Turpia ſeminibus junctis parit Africa monſtra,
Turpius, Æterno cum ſine Patre parit.

p. 48. *Ad Iacobum Regem Britanniæ &c.* *ep. 6.*

AUrea præfati venit jam principis ætas,
Bruti indiviſum qui diadema gerat.
Et penitus toto diviſos Orbe Britannos
Uniat, & palmam pacis in Orbe ferat.

Ut

Ut qui pacifice ſentit, jam dicere poſſit;
Omne bonum nobis ex Aquilone venit.

Apocriſis.

FErrea degeneris venit jam Principis ætas,
Matris catholicæ filius hæreticus.
Catholico penitus diviſos Orbe Britannos
Ut ſervet, calamo diſputat, enſe ferit.
Ut qui catholice ſentit, jam dicere poſſit;
Omne malum nobis ex Aquilone venit.

p. 49. *Ad Lectorem candidum.* *ep.* 11.

OPtima, quæ bona ſūt; mediocria, quæ mala dices
Carmina judicio, lector amice, tuo.

Ad Lectorem nigrum.

PEſſima, quæ mala ſūt; mala, quæ mediocria dices
Carmina cenſura, lector inique, tua.

Apocriſis.

NOn niger, aut albus; nec amicus ero, nec iniquus:
Quæ bona ſunt, bona ſunt; quæ mala ſunt mala ſunt.

De

Digitized by Google

p. 54. *De ſpe, & metu.* *ep.* 54.

DIvitiæ,atq; metus comites ſunt;ſpes,& egeſtas;
Res optanda tamen ſpes, miſeranda metus.
Pauperis eſt optare, timereq; divitis; iſto
Quam ſperare equidem, malo timere modo.

Apocriſis.

DIvitias ſociare metum; ſpem vero foveri
Pauperie reputas: regula falſa ſed eſt.
Eſt dives, quaſi non dives; ſic pauper abundans;
Hic nihil ut ſperat; ſic nihil ille timet.
Divitis anxietas potior tibi pauperis eſt ſpe:
Ut ſperare nihil, diſce timere nihil.

p. 56. *Bellua.* *ep.* 71.

PRæteriti ſpes nulla manet: ſpes ſola futuri;
Res abeunt ſine ſpe; ſpes redeunt ſine re.
Dum nos præteriti dolor angit, cura futuri,
Bellua quod præſens eſt capit; illa ſapit.

Apocriſis.

UT ſapias, vanas, & inanes abijce curas
Corporis, atq; animi ſit tibi cura tui.

Si

Si ſapit, in præſens quæ fertur bellua ſolum;
Ut ſapias, pedibus quattuor ire potes.

p. 56. *Ad Marcum. Problema.* *ep.* 75.

SIs bonus, anne malus quid refert, Marce? premun-(tur
Iure mali, quaſi vi; vi, quaſi jure, boni.

Apocriſis.

IVre mali, non jure boni ſine fine prementur:
Marce, igitur refert ſis bonus, anne malus.

p. 60. *De Controverſijs.* *ep.* 120.

THeiologi certant, & adhuc ſub judice lis eſt;
O utinam lis ſub judice tota foret?
Theiologi certant, & adhuc de judice lis eſt:
O utinam lis de judice tota foret.
Tanta vel in nobis utinam lis eſſet amoris,
Quantus, in hoc lacero tempore, litis amor.

Apocriſis.

THeiologi quærunt; credunt credenda fideles;
Theiologis lis de judice nulla bonis.
Theiologi certant homini certanda fideli:
Nam qui aliter certat, Theiologaſter erit;

Qui

Qui dicit populo; * mea tu deliria crede;
  Excipiat nummos ſed mea burſa tuos.

* *Sic quidam in Dania Miniſtellus.*

p. 62. *Scientia.* *ep. 134.*

IUdice me, ſoli ſemperq; perinde beati
  Sunt, quicumq; ſciunt omnia, quique nihil.

Apocriſis.

QUando ſcire nihil tibi, ut õnia ſcire, perinde eſt;
  Elige te lateant omnia, meq; nihil.

p. 62. *Quis tu?* *ep. 136.*

QUeis oculos videã ipſe meos, oculi mihi deſũt:
  Qua mentem videam mens mea mente caret.
Si mens; una mei pars optima; neſcio quid ſit;
  Unde tibi poſſum dicere, ſim quid ego?

Apocriſis.

ESto oculos non poſſim oculis Ovvene videre;
  Qua videam mentem mens mea mente videt.
Noſcere me noſco, & noſco quod noſcere mens eſt;
  Ergo tibi poſſum dicere, ſim quid ego.

p. 63. Domine adauge fidem noſtram. Luc. 17. *ep.* 143.

NOn augenda fides, potius minuenda videtur,
Vix cum ſint homines tot, quot in orbe fides.
Sortitur ſibi quiſq; fidem, ſibi quiſq; magiſtrum:
Nunquam plus fidei, perfidiæq; fuit.

Apocriſis.

ESt augenda fides, minime minuenda videtur:
Sed bona; ſi mala ſit, nolo vocare fidem.
Quando fidem ſibi quis ſortitur, perfidus ille eſt;
Hæreſis orbi iſthæc plurima monſtra dedit.

p. 66. *Iuſtificatio.* *ep.* 1 14.

IVſtificant hominem ſua facta, fideſne fidelem?
Iuſtificat ſolus facta fidemq; Deus;

Apocriſis.

IVſtum recta fides factis comitata figurant:
Utraque factus homo, facta, fidemq; Deus.

In-

p. 67. Infans anonymus ante baptiſmũ mortuus. ep. 187.

MOrtuus heu! nec lotus aqua, nec nomine notus
Non habui nomen, quod tibi Chriſte darẽ.
In libro vitæ tu me ſine nomine ſcribas:
Spes eſt in ſolo nomine noſtra tuo.

Apocriſis.

QVi cupit illotos deſcribi in codice vitæ
Parvos, erratum non bene novit Adæ.
Iactatis ſine amore fidem ſatis eſſe: ſed infans
Si ſine aquis ſperat, tollis amice fidem.

p. 68. Petrus, & Paulus. ep. 190.

IMperium gladio, ſed opes ſub clave tenentur;
Ditior eſt Paulo ſcilicet inde Petrus?
Eſſe inopem, Divum ſua dicit epiſtola Paulum:
Hoc ſanctus de ſe nullibi Petrus ait.

Apocriſis.

MArtyrium gladio; Papatus clave notatur:
Pauper erat Paulus, pauper & ipſe Petrus.
Pauper erat Paulus, teſtatur epiſtola Pauli;
Liquimus ecce, & inops, omnia, Petrus ait.

Ad

p.66. *In die Iudicij.* *ep* 175.

QUo reſpondebunt homines,& ad omnia,&omnes,
Iudicio tanto num ſatis una dies?

Apocriſis.

CUi reſpondebunt homines, ſi credis in illum,
Eſt Deus: una dies huic ſatis, hora quoque.

p. 68. *Ad Lectorem aulicum.* *ep.* 184.

SI ſapiant hic multa ſcholam, perpauca ſed aulã,
Scito, quod hæc aulæ ſcripſimus, illa ſcholæ.

Apocriſis.

QVod ſapiant hic multa ſcholam tu dicis: at iſta,
Si docet errores, non ſchola, falſa ſchola eſt.

p. 69. *Ad Angliam, de Unione Britannica.* *ep.* 204.

INterna æterna Britones jam pace fruemur:
Ternus enim populus qui fuit, unus erit.
Vvallia cui vallum contingit, Scotia ſcutum,
Anglia ſecuram jam licet eſſe tibi.

Digitized by Google

Apocriſis.

INterna æternùm Britones diſcordia vexat:
Multiplicatur enim, quæ fuit una, fides.
Cui fidei vallum perijt, cui denique ſcutum,
Anglia ſecuram non licet eſſe tibi.

LIB. UNO

p.73. *Ad librum.* ep.3.

INnumero dicenda tibi ſub judice cauſa eſt;
Arbitrium de te non duo, treſve dabunt.
Forſan & illectus temere damnabitur autor;
Rarior & lector, quam reprehenſor erit.

Apocriſis.

DIcta tibi docto, & ſacro ſub judice lis eſt:
Mane, techel, phares dicitur ecce tibi.
Damnatur, poſtquam lectus fuit, atq; relectus
Autor: quis lector, non reprehenſor erit?

p.75. *De virtute Paradoxon.* ep.21.

IN medio virtus vitiorum quæq; duorum eſt:
Præſtaret, vitij ſi foret iſte locus.

Apo-

Apocriſis.

QUi vitium in medio poni debere putaſti,
Tu loco in extremo conſtituendus eris.

p76. *Sacerdos Romanus.* *ep.24.*

VIs ſit adulterium non dignum morte Sacerdos?
Haud mirum; conjux eſt tibi nulla: ſapis.

Miniſter Genevenſis.

VIs ut adulterium plectatur morte, Miniſter?
Haud mirum; conjux eſt tibi bella: ſapis.

Apocriſis.

SI Phariſæus erit, lapidatur adultera; judex
Si fuerit Chriſtus, libera abire poteſt.
Ut non occidat, renuit damnare Sacerdos:
Enecat, & contra vota Miniſter amat.

p.78. *Stylo novo.* *ep.41.*

URbs veterum cultrix, rerumq; inimica novarũ
Impoſuit faſtos cur ſibi Roma novos?

Digitized by Google

Apocriſis.

IN rebus Fidei novitas odibilis Urbi:
Rebus in humanis huic nova multa placent.

p.79. *In quendam, &c.* *ep.50.*

INter tot ſceleratorum centena, tuliſſet
Si juſtos tantum quinque Gomorrha viros,
Staret adhuc.
Tu propter paucos, leviuſcula carmina, luſus,
Vis pereat totum, livide lector, opus.

Apocriſis.

QVando tuo libro ſimilem facis eſſe Gomorrhã,
Vis ego diſſimilem tertius eſſe negem?
Optas diſſimulem? Simulabo: ſed Indicis ignis
In lignis, ſi ſint arida, ſemper agit.

p.79. *In eundem.* *ep.51.*

INcendit Triviæ ſacra templa, ut nomen haberet,
Quidam neſcio quis: nec puto nomen habet.
Si tu dente nigro carpis mea carmina: ſperas
Forſan in hoc quarto nomen habere libro.
Uſque licet per me rodas mea carmina, carpas
Uſque licet; fallam ſpes ego, Mome, tuas.

Apo-

Apocriſis.

EXuſsêre Dijs olim ſacra templa Fideles:
Impia quo ſinerent nomen habere ſacra.
Dente verecundo reſecans tua carmina, ſpero
Forſan in hoc quarto nomen habere libro?
Uſque, licet per me, dicas; tua carmina carpo;
Ne jam ſacra nigro carpere dente velis.

p.81. *Præſtat dare quam accipere.* ep.67.

ACcipère humanum eſt; inopi donare Deorum:
Nunquam tam paucos credo fuiſſe Deos.

Apocriſis.

ESt dare divinum: paganum credo fuiſſe
Te: tibi vis dantes multiplicare Deos.

p.83. *Eccleſiæ Derivativæ.* ep.82.

SIt licet una fides, licet una Eccleſia vera,
Fontibus e vivis orta perennis aquæ.
A Primitiva, quæ non ſe Eccleſia ſolam
Derivat, fontem diſſimulatque ſuum?

Additur.

QVæ non diſſimulat nativum Eccleſia fontem?
* Poſſit ut abſcondi ſepia, turbat aquas.
At fontem monſtrare poteſt Eccleſia Petri,
Quæ per Pontifices fluxit ab uſque Petro.

** Hæretici ſuas Eccleſias dicunt inviſibiles, non civitatem in monte poſitam.*

p.83. *De Mundis Democriti.* *ep.87.*

SI quot Democritus mundos ait eſſe, tot eſſent:
Innumerabilium peſſimus iſte foret.

Apocriſis.

SI quot Democritus mundos ait eſſe, tot eſſent:
Mundus in innumeris & bonus iſte foret.
Si foret at mundus, provincia quælibet, unus,
Anglicus in multis peſſimus iſte foret.

p.84. *Ad Theologos.* *ep.96.*

PResbyteri certant, atque immortalia nectunt
Iurgia: litigijs non poſuêre modum:
Unde venenatæ levis inclementia linguæ,
Et quam ſit calamus ſævior enſe, patet.

Apo-

Apocriſis.

HÆretici certant, nectunt & jurgia ſemper;
Pontifici renuunt nempe adhibere fidem.
Hinc patet hæreticæ male ſuada ſuperbia mentis;
In quem deinde lacum mergitur Acephalus.

*p.*85. *Eraſmi Deſiderium.* *ep.*104.

NVnc Deſiderium deſiderat Orbis Eraſmum,
Cui ſoli licuit ſcribere, quod libuit.

Apocriſis.

CUm Deſiderium vanus deſiderat Orbis,
Quid Deſiderio hoc vanius eſſe poteſt?

*p.*85. *Neuter.* *ep.*105.

POmpeianus ero, ſi vicerit omnia Magnus;
Omnia ſi Cæſar, Cæſarianus ero.

Apocriſis.

QUi Pompeianus modo ſis, modò Cæſarianus;
Ut vincunt; non tu neuter, uterque ſed es.

p.88. *Ad Lectorem.* *ep.127.*

OMnia ſalſa ſitim faciunt potoribus: ò ſi
Lectori pariant carmina noſtra ſitim!

Apocriſis.

SAlſa ſitim faciunt, ſtomachum ſed falſa: requiris
Salſa ſitim faciant carmina, falſa cave.

p.91. *Harmonia ad Theologos.* *ep.155.*

HArmonias varij ſcripsêre Evangeliorum:
Harmoniarum quis? non minor iſte labor.

Apocriſis.

SCribere difficile eſt, velut aſſeris harmoniarum
Harmoniam: Hæreticis ſcribere difficile eſt.

p.94. *Novatiſmus.* *ep.173.*

MVlta renaſcentur, quæ iam periêre, cadentq;
Dogmata, quæ ſũmo nunc in honore vigent.
Quæ nova ſunt, hodieq; placent, non uſq; placebũt:
Cur ita? quæ nova ſunt, non nova ſemper erunt.

Apocriſis.

MVlta renaſcentur, que iam cecidêre, cadentq;
Dogmata: ſed quibus hæc? ſcilicet Hæreticis.
Quæ nova ſunt, hodieq; placent, non uſq; placebunt,
Sic ſolet & radios volvere rheda ſuos.

p. 102. *De ſeipſo.* *ep.* 96.

SUnt quidam, qui me dicunt non eſſe poëtam,
Et verum dicunt. Cur? quia vera loquor.

Apocriſis.

SUnt quidam, qui te dicunt non eſſe poëtam,
Et falſum dicunt. Cur? quia falſa canis.
Sed neque tu vates; quando, quod concinis alte,
Non modo non verum eſt, imo nec eſſe poteſt.

p. 103. *Ad quendam.* *ep.* 256.

DOctor es incipiens; nunc incipe doctior eſſe.
Additur pentametrum.
Doctus, & incipiens non es; at inſipiens.

p. 106. *Annulus concordiæ ad Britannos* 1607. *ep.* 272.

SCotia fert gemmam; gens Anglica conferet aurũ;
Annulus hinc fiat; Rexque ſit ipſe faber.

Ex-

Excitet Europæ nova nos concordia : ne dum
Cuditur a fabris annulus , Annus eat .

Apocriſis ad Britannos . 1649. *Feb.*

SCotia fert ferrum ; gens Anglica contulit ignem ;
Cuſus Cromvvelo eſt annulus vnde fabro .
Dirus , avernalis , lacrymabilis annulus iſte
Deſtituit Regem , diſſecuitque caput .

*p.*106. *Steganographia .* *ep.*254.

CUr ſint obſcuro ſenſu mea carmina , quæris ,
Utiliter nequeant quæ ſine clave legi ?
Eſt Epigrammatici non eſſe Polygraphon : ergo
Conveniens illi eſt , eſſe Steganographon .

Apocriſis .

CLarus es , & ſenſu ſcribis tua carmina claro ;
Clarius inflicto vulnere Muſa ferit .
Eſt Epigrammacici ſteganographon eſſe ; nec iſtud
Denego : at adiungo, quod ſimul εἰκόγραφον.

*p.*106. *Regnum diviſum .* *ep.*272.

IN mundo nihil uſque poteſt conſiſtere. Mundus
Non ſemper ſtabit cur ? quia dividitur .

Apo-

Apocriſis.

HÆreſis in Mundo poterit conſiſtere nulla;
Quod tamen optaret; cur? quia dividitur.

MONOSTICA.

p.111. *Ad Petrum.* *ep.38.*

TE miſerum dicis: fateor, ſine crimine quemquã
Non vidi miſerum: tu miſer ergo, Petre, es.

Apocriſis.

IOb miſerum, quamvis fuerit ſine crimine, noſti:
Sic miſerum noſti, qui ſine crimine ſit.
Nemo, confiteor, tenui ſine crimine vivit:
Abſque gravi nullus forſitan Anglus erit.

LIB. I. Ad Henricum Principem.

p.123. *Ad Henricum Principem.* *ep.1.*

IN libris pro more novis, & amore dicandis,
A ſummo ſumo Principe principium.

Apo-

Apocriſis.

IN libris pro more novis; ſine amore dicandis
A nummo ſumis principe principium.

p.123. *Ad Mæcenatem.* ep.2.

NOn ego patronum deſidero verſibus ullum:
Mæcenate liber non eget; Autor eget.

Apocriſis.

AUtor eget; juſſit numerare ſtipendia Princeps:
Mæcenate liber nunc eget; Autor habet.

p.124. *An Petrus fuerit Romæ.* ep.8.

AN Petrus fuerit Romæ, ſub judice lis eſt;
Simonem Romæ nemo fuiſſe negat.

Apocriſis.

ET fuit, eſt, & erit Romæ, & pro judice Petrus;
Confractis Simon cruribus ipſe docet.

Ad

Digitized by Google

*p.*128. *Ad Petrum Iunium.* *ep.*40.

NAſcitur indigne, per quem non naſcitur alter;
Tu naſci, noſci tu Petre, dignus eras.

Apocriſis.

Naſcitur is digne, qui novit noſcere dignum:
Dignum noſce Deum, ſic bene natus eris.

*p.*129. *Ad Regem.* *ep.*52.

IN decimo nono Iubileo ætatis obivit,
Qui poſt diluvium vixit, & ante Noë.
Si mea vota valent, iubileos quot Noë vidit,
Secula tot vives, Tu * Noë noſter eris.

* *Rex ante, & poſt unionem Britanniæ.*

Apocriſis.

QUi Noë veſter erat, ſtrages poſt vidit, & ante
Chriſtiadum: reperitq; hæreſin, atque aluit.
Ante habuit matris, poſt triſtia funera nati;
Enſe Maria cadit, Carolus enſe perit.
Nobile matris erat, ſed nati flebile fatum:
Quomodocumque fuit, ſic Noë veſter erat.

p.130. *De Thoma Moro, Angliæ olim Cancellario. ep. 54.*
ad Thomam Baronem de Elleſmer.
Angliæ Cancellarium, &c.

TOtius integritas vitæ ſine labe peractæ
Te Moro æqualem moribus eſſe probat,
Excipias Mori caſus, & flebile fatum,
Et cauſam mortis; cætera Morus eris.

Apocriſis.

ESto te Moro morum gravitate fuiſſe
Detur, & officijs, ingenioque parem:
Excipias Mori caſus, & nobile fatum;
Contigit huic, tibi non pro pietate mori.

p.130. *In quendam parcum.* ep.53.

TE laudo laudatorem, non laudo datorem:
Scit laudare magis nemo, minuſve dare.

Apocriſis.

TU laudas laudatorem; tamen acceptorem
Semper agis: lauda, da, dabis, accipies.

Da-

Digitized by Google

*p.*130. *Duces uxorem, & alius dormiet cum ea.* *ep.*56.
Deuter. 19.

IMpleta in noſtris hæc eſt ſcriptura diebus.
Additur pentametrum.
Anglia Calvino quando jugata fuit.

*p.*132 *In Iulium II.* *ep.*77.

ECce duo gladij. Chriſto Petrus enſifer inquit:
Ecce duæ claves, ò Petre, Chriſtus ait.
Depoſuit Petrus gladium, claveſq; recepit:
Deponis claves Tu, gladiumq; rapis.

Apocriſis.

ABſtulerant claves, poſita ratione, tyranni
Arcium, & in gladijs has tenuiſſe volunt.
Iulius, ut pellat rapta de ſede ſuperbos,
Sacris infractos clavibus, enſe ferit.

*p.*134. *Ad Principem.* *ep.*92.

MEns mea nil præter generoſum ſomniat aurum:
Felix ſum tota nocte, dieq; miſer.
Auxiliatricem Princeps mihi porrige dextram,
Sic ego non ſola nocte beatus ero.

Apo-

Apocriſis.

MEns tua nil præter lutulentum ſomniat aurum:
Sic miſer es tota nocte, dieq; miſer.

p.136. *Thomas Morus.* *ep.109.*

QUid de ſe fieret meditans in carcere Morus,
Inſpicit urinam: nil ibi triſte videt.
Urinam Regis potius luſtraſſet; in illa
Vidiſſet mortis turbida ſigna ſuæ.

Apocriſis.

QUod de ſe factũ eſt meditãs poſt funera Morus,
Præmia contemplans, omnia læta videt.
Funera ſed Regis ſi contemplatur, ut inquit
Omnia perdidimus: turbida cuncta videt.

p.138. *De Fide, Anagramma quintuplex.* *ep.12.*
(ta; non eſt
RECTA fides CERTA eſt; ARCET mala ſchiſma-
Sicut CRETA, fides fictilis: arte CARET.

Additur ſextum.

RECTA fides CERTA eſt, CARET arte, ſed ambulat ARCTE;
Non ut CRETA fides, ARCET ab aure dolos.

p. 138. *Inſtrumentum Mathematicum vulgo dictum, Baculus Iacobi, ad Mathematicum* *ep.* 14.

IAcobi baculum tibi ſumito; da mihi ſcalam,
Monſtrabit baculo plus mea ſcala tuo.

Apocriſis.

QUādo Mathematicis id dicitur, approbo dictū:
Reſpondere tamen convenit Hæretico.
Sumo mihi baculum, te verbero: tu cape ſcalam,
Scande, cade; & finis ſic tibi funis erit.

p. 138. *Situs terræ.* *ep.* 15.

TErra ſtat æternum, Salomoni credere ſi fas;
Si fas Naſoni credere, terra ſedet.
Feſſa vacillaret tandem, ſi terra ſederet:
Si ſtaret, caderet: quid facit ergo? jacet.

Apocriſis.

TErra ſtat æternum: Salomoni credere debes:
Naſo poëta fuit, credere crede nefas.
Non cadet, at ſtabit: ne dicas ergo jacere:
At partim es verax, Anglica terra jacet.

LIB. II.

p.139. *De Papa, & Luthero.* *ep.18.*

PApa pater multas indulgentiſſimus unus
Ex purgativo liberat igne animas.
Martinus Papis pater indulgentior unus
Omnibus eſt: omnes eximit inde Luther.

Apocriſis.

QUos purgativo Lutherus tollit ab igne,
Hos infernali ſtridere in igne facit.

p.139. *De jejunijs.* *ep.21.*

PApa ſuo cur tot jejunia ſervat in anno?
Ut ſuceſſorem ſe probet eſſe Petri.

Apocriſis.

OMnia Lutherus quare jejunia tollit?
Succeſſor nempe eſt ſus Epicure tuus.

p.145. *Ad Henricum VIII. Fidei Defenſorem.* *ep7.2.*

HUnc titulum Regi Florum, Regiq; Leonum
Florentinus homo dat tibi Papa Leo.

Apo-

Digitized by Google

Apocriſis.

HUnc titulum indigno Regi Florum,atq; Leonū
Dat Leo florilego, poſtea ſacrilego;

p. 146. *Ad Robertum Ionſton.* *ep.*82.

INgenij Ionſtone tui ſum factus amator,
Hiſtoriæ legerem dum monumenta tuæ.
Nil magis ingenuum, nihil ingenioſius exſtat
Tergeminæ Britonum gentis in hiſtoria
Excipias unum Morum de Rege Ricardo;
Nemo Britannorum dignior invidia.

Apocriſis.

INgenium Ionſtone tuum (ſum candidus) odi,
Dum lego ficta tuo plurima facta libro.
Nil magis infauſtum, nihil & mendacius exſtat
Tergeminæ Britonum gentis in hiſtoria.
Reſpicias unum Morum de Rege Ricardo,
Huic tu nil ſimilis; nos tibi compatimur!

*p.*146. *De ſe ipſo.* *ep.*83.

SUm fateor,doleoq; Minorum ex ordine fratrum;
Frater, opes patrias & bona, major habet.

Apocriſis.

SUnt vi, ſunt vitio, ſunt & virtute Minores;
Ex quibus exiſtas arguit iſte dolor.

*p.*148. *Ad librorum caſtratores.* *ep.*79.

QUi ſapitis, nolite meum caſtrare libellum,
Gignat adhuc alios ut liber iſte libros.

Apocriſis.

QUi ſapiunt, iſtum debent caſtrare libellum,
Ne gignat ſpurios poſt liber iſte libros.

*p.*148. *Ad Lectorem.* *ep.*100.

EXuo Narciſſum, quoties epigrammata ſcribo,
Exuat hunc, quisquis carmina noſtra legit,

Apocriſis.

Calvinus. *Anagr.* Lucianus.

NArciſsum exueris, quoties epigrammata ſcribis:
Exue Calvinum, nec Lucianus eris.

LI-

L I B. III. Ad Carolum.

p. 152. *Sanguine, non virtute.* ep. 72.

ANtiquum eſt, virtute decet, non ſanguine niti:
Non meritis tamen, at ſanguine nitar ego.
Non, inquam, virtute decet, ſed ſanguine niti;
Non virtute mea; ſanguine, Chriſte, tuo.

Apocriſis.

ANtiquum eſt, virtute decet, non ſanguine niti:
Et meritis tamen, & ſanguine nitar ego.
Non ſola virtute, inquam, ſed ſanguine Chriſti;
Hac, & præcipue ſanguine, Chriſte, tuo.
Hæreticus, pergens peccato inſiſtere, dicit;
In ſolo Chriſti ſanguine nitar ego.

p. 154. *Novitas.* ep. 47

DIſplicet inſipiens novitas, delira vetuſtas
Non placet: eſt vero nil mihi, Paule, prius.
Non ego ſum veterum, non aſſecla, Paule, novorum;
Seu vetus eſt, verum diligo, ſive novum.

Apocriſis.

NOn eſt grata tibi novitas, neque grata vetuſtas,
Eſt tibi nil vero, dicis Oëne, prius.
Sed, rogo, quid verum eſt? Hic nodus Gordius eſto.
Tu verum hoc reputas; falleris, alter ait.
Non verum ergo placet, ſed quod verũ eſſe putaſti:
Tu novus es: ſolum diligis ergo novum.

p.158. *Recta Ratio.* *ep.85.*

TEmpore quod noſtro Ratio ſit recta, dolendum:
Eſſet gaudendum, ſi foret illa regens.

Additur.

REcta dolet Ratio, quod non regat, imo regatur:
Credo dolet, quod non creditur alma Fides.

LIB. I. Ad Edoardum.

p.168. *Fides mercatoria.* *ep.30.*

DIruit innumeros hoc tempore mercatores
(Non tutum eſt hodie credere) ſola fides.

Ad-

Additur.

DEcipit innumeros hoc tempore Lutheranos
(Non tutum eſt tantum credere) ſola fides.

p. 179. *De pœna, & culpa*. *ep.* 14.

DOctores peccata inter non entia ponunt;
Cur non peccati pœna ſit ergo nihil?

Apocriſis.

DOctores peccata inter non entia ponunt;
Gratiæ erantque nihil; gloriæ eruntq; nihil:
Pœna ſit hæc dāni: at ſenſus mala gaudia ſunt quid,
Non nihil; æterni pœna ſit ergo Stygis.

p. 179. *L'argent fait tout*. *ep.* 16.

UNde fit ut Francus poſt tot, poſt bella tot Anglus
Integer in ſolito regnet uterque ſolo?
Protexit generoſa tuum te, Francia, ★ ſcutum;
† Angelus eſt cuſtos, Anglia tuta, tuus.

★ *l'Eſcu*. † *l'Angelot*.

Apocriſis.

UNde fit ut Francus bellis agitatus, & Anglus,
Perdidit hic ſolium, ſervat & ille ſuum?
Francia protegitur ſcuto fideique, Deique;
Anglia te fidei perdit, & ira Dei.

LIB. II. Ad Guilielmum.

*p.*181. *Devotio.* *ep.*36.

DIvitias Cleri peperit devotio vulgi:
Degenerem prolem relligioſa parens.

Apocriſis.

NOn quia divitijs pravos contingit abuti,
Innumeros dicas degeneraſſe probos.
Quando tui ſimiles quærunt diſperdere Clerum,
Si facias inopem, quis dare poſſet opem?

*p.*183. *Ad S. Paulum.* *ep.* 48.

VErberibus cum cæſus eras, defenſio præſens,
Civis Romanus ſum, tua, Paule, fuit.
Iudicij ſuprema dies cum venerit, an tum
Sat, ſum Romanus, dicere, civis, erit?

Apo-

Apocriſis.

NOn quæret Iudex, fuerit Romanus, an Anglus
Quanquã Anglũ (ratio eſt nota) fuiſſe nocet.
Romanæ Fidei fueritne, inquiret ab illo;
Fecerit & fidei congrua facta ſuæ.

p. 185. *De Roma, & Mundo.* *ep* 65.

ROma vetus quadrata fuit, munduſq; rotundus:
Nunc mundus quadra eſt, & nova Roma rota.

Apocriſis.

SI nova Roma rota eſt, radios æqualiter axis
Volvit; habet partes Orbis in Urbe pares.

*p.*188. *Sapientiæ duæ, Salomon & Ieſus.* *ep.*83.

POnitur apocryphos inter Sapientia libros
Utraque: ſemper erit, qui ſapit Apocryphos.

Apocriſis.

UTraque canonicos inter Sapientia libros
Ponitur: erraſti, tu ſapis Apocryphos.

Exu-

*p.*188. *Exulis ſolatium.* *ep.*86.

NOn extorris ero, dum vivam, terraq; ſtabit:
Nec, dum terra ſolum dicitur, exſul ero.
In cælis, extra terramque ſolumque beatus,
Mortuus extorris, mortuus exſul ero.

Apocriſis:
Non habemus hic permanentem civitatem:
ſed futuram inquirimus. Heb. 13.

SEmper ero extorris, dum vivam, terraq; ſtabit:
Et, dum terra ſolum dicitur, exul ero.
In cælis, extra terramque ſolumque, beatus
Poſt mortem in Patria tunc bene civis ero.

LIB. III. Ad Rogerum.

*p.*192. *Ad Robertum, &c. & Henricum.* *ep.*14.

IAcobos tu quinque, & tu mihi quinque dediſti.
Non temere vobis diſticha quinque dedi.

Apocriſis.

DIſticha, Iacobis totidem, tu quinque dediſti:
Iacobo Regi vendis & ipſe fidem.

Stel-

*p.*200. *Stella Magorum.* *ep.*78.

INvenêre Magi Dominum, duce ſidere fido;
Ad Chriſtum ducat me mea ſtella fides.

Apocriſis.

AD Chriſtum tua ſtella fides te ducere non quit:
Non tua, ſed Chriſti ducit ad aſtra fides.
Tu credis, quod vis; non quod te credere Chriſtus
Per Petrum docuit; naſcitur unde fides.

*p.*201. *Methodus pecuniaria.* *ep.*88.

MAgna quidem virtus nummis eſt poſſe potiri;
Scire uti, maior; maxima, velle frui.

Apocriſis.

SOrs, vitium, virtus nummis eſt ſæpe potiri;
Scire uti, virtus; maxima nolle frui.

*p.*6. *Impius Atheus.* *lib.*1.*ep.*27.

UTere temporibus præſentibus, utere rebus:
Tempus erit, nullum quum tibi tempus erit.
Grammaticus de præterito dicatq; futuro;
Tempore præſenti, dum licet utar ego.

Apo-

Digitized by Google

Apocriſis. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Pſal. 31.

UTor temporibus præſentibus, haud fruor illis:
Tempus erit, quod per ſecula ſemper erit.
Sicut equus, muluſq; vir eſt, cui patria Mundus;
Curro viam Mundi non equus, utor equo.

p. 17. *Saturni tres filij.* *lib.* 1.*ep.* 131.

THeiologi ambigui; Iuriſtæ lenti, & iniqui;
Immundi Medici; Mundus ab his regitur.

Apocriſis.

HÆretici ambigui, mendaces, atque ſuperbi;
His regitur miſeris Anglia Theiologis.

p. 17. *In Caium.* *lib,* 1.*ep.* 134.

UNius uxoris vir Epiſcopus eſſe jubetur:
Ergo licet Laico nunquid habere duas?

Apocriſis.

UNius uxoris vir Epiſcopus ille fuiſſe,
Non datur eſſe: tibi ſic habuiſſe duas.

Le-

Lectori.

Iniquos odio habui. Pal. 118.

SI quos noſtra tibi perſtringere penna videtur;
Tranſvolat illa homines, & ferit hæreticos.
At tibi ſi qua malos perſtringere culpa videtur;
Et mea perſtringet te quoque penna malum.

PO-

Digitized by Google

POLEMICA
IN LUTHERUM.

PRælia Tartareos meditor commota per hoſtes;
Quodq; minus decuit. verbi tractata miniſtro,
Cuius erant partes pignus defendere ſacrum:
Par Iudæ infauſto ſed tradere maluit hoſti.
Infelix, quæ cauſa mali! reus ipſe ſalutis
Æternum amiſſæ ſibi! ſed ſi ſolus ad orcum,
Non etiam plena tranaſſet nave, ferendum.
Quis furor, o demens, quæ te veſania cepit?
Dæmonibus gentes, Chriſti præbere redemptas
Sanguine; cumq; foret ſpoliandus Turca trophæis
Chriſtiadûm, ſacram placuit diſrumpere veſtem.
Tantone infernum Luthere labore paraſti?
Gens nova cornigeræ jactans inſignia Lunæ;
Non contenta ſuis Auroram faſcibus acris
Addere, & æternis nitidam damnaſſe tenebris;
Dilatare ſuos ſemper cupit anxia fines;
Dum rapit, aut ſpoliat, pulcrum ſpoliare putabit.
Ipſa quidem falſos abjecit credula Divos;
Atq; unum obſervare Deum, non credere Trinum
Sollicita, æternum Nato negat eſſe Parentem.
Nec legem ratione ſuam, ſed diſputat armis;
Arma inſana furit; quid jus, faſque recuſet,
Barbara non curat; perverſæ dogmata legis
(Gran-

Digitized by Google

(Grande nefas) ſolo ferri ſplendore coruſcant.
Ac velut ingenti torrens cumulatus ab imbre,
Rura ferox vaſtat, ſegetes divellit, & herbas,
Et decus omnis agri (miſerum!) ſpe damnat inani:
Sic fera barbarie gens iſta vagatur, & omne
Virgultum Fidei crudeli demetit enſe.
His dominabatur, Domini cognomine magni,
Turca, malo magnus ſed noſtro, barbarus hoſtis,
Imperio Selimus duro tunc temporis uſus.
Amplo ille imperio minime contentus, avebat
Dilatare ſui gladio confinia regni.
Præparat arma ferox, homines conſcribit ab omni
Confeſtim regione: patet regionibus amplis
Imperium Turcæ; nec mirum exercitus ingens
Si fuerit, nulla ut tantum vix viderit ætas:
Occupat hic campos longe lateq; patentes;
Lata deeſt tellus, ingentia flumina ſiccat;
Deficiunt jumenta viris latura farinas:
Et ſolem, ſi quando vibrant, rapuêre ſagittis.
Chriſtiadûm terras atrox petit iſta procella.
Relliquias, veteris Romani jura Senatus,
Germano Imperio Carolum expectare ſciebat:
Illius ætatem teneram contemnere viſus;
Deſpiciebat Avi vires ætate reductas,
Et fracti jura Imperij, & diſcordia vota
Magnatum. Placitam nigra ſepia quærit ut eſcam
Turbatis in aquis; ſic noſtra Tyrannus anhelat.
Interea noſtri miſcent fera prælia bello;

Nec

Nec pacem inter ſe voluêre: ſed aſpera ſemper
De minimis rebus fœcundi jurgia quærunt.
Peſſimus hic livor: ſed, ſi bonus ullus habetur,
Invideant, per me licet, atq; exopto, Tyranno
Huic magno. Pudeat parvos non poſſe ſodales,
Et fratres ſufferre tuos; dum prælia miſcet,
Et noſtras latro populatur maximus urbes.
Regnabunt ſocij: diviſi jura ſubibunt.
Huc quoque debueras curas Luthere fideles
Ferre tuas: ſed noſtra ferunt ſuſpiria venti.
Scilicet ignotus patria, viliſque parente,
Per ſummum, maledicte, nef s; combuſtor ut ille
Eximij templi; voluiſti nomen in Orbe
Dilatare tuum; vel fama lætus iniqua!
Obductum refricare timet manus anxia ſævum
Vulnus; & optarem tenebris damnare tenebras.
Sic congeſta tegit tellus, ſepelitque cadaver,
Et ſuper impoſito concludunt marmore corpus.
Sed ſi cuncta ſilent, lapides clamare neceſſe eſt:
Confero me lapidi, percuſſus reddo favillas.
Debueras monſtrum non naſci, aut fulmine natus
Deleri: num vota Deus voluiſſe videtur
Exaudire: puer quando ſpatiatur in agro;
Æthera terribili tempeſtas horrida nimbo
Involvit, rapuitque diem cum ſole ſerenum:
Tunc caput in ſacrum nigris e nubibus ignis
Decidit: at ſocium ſtravit. Prô maximus error;
Si regeret fortuna vices! Deus abſtinet illum
Ster-

Sternere; quod poſſit, manifeſtat: ut impius eſſe
Nolit: vel ſimili ſternetur fulmine cyclops.
Totus diriguit, tremulos pavor obtinet artus:
Et, ſocius lacero ſi corpore ſternitur, ipſi
Vocem, animumque, & vires abſtulit horror.
Fulminis ad lumen vidit prærupta viarum,
Quæ natos hominum ſine fine in tartara mergunt.
Dux timor haud bonus eſt lumẽ quoq; fulminis atrũ:
Lumine quid tali præeunte, viamque docente,
Iam poteris patrare boni? Pelle ergo timorem,
Aureus intret amor; radijs lux aurea ſolis
Fulgeat æterni: ſubitos fuge fulminis ignes.
Lucifer interea, qui non requieſcit in umbris,
Peſſimus ipſe Malos in cœtum convocat; atque
Chriſtiadum innumeras florentes invidus urbes
Reſpicit. Et, quæ vos, ſocij, modo vincit inertia, di-
Siccine tranquilli florere videbitis æquis (xit:
Luminibus gentes, quæ cœli ſedibus altis,
Exitio veſtro poſthac, veſtraque ruina,
Gaudebunt? Rabies nunc veſtra quieſcere debet?
Statis, & incedit plenis Eccleſia velis?
Nemo reluctatur? Palmas Arrius adeptus,
Neſtoriuſque fuit, ſed veſtris viribus uſi;
Sic multa Eutyches, ſic plura Pelagius auſi,
Sed veſtra innixi virtute: ſedere quieti
Vultis, & ignava miſeri langueſcere vita?
Semina peſtifero jecit ſermone Vicleffus;
Nullus erit veſtrûm, cui curæ ſpargere virus?

Heu nimis ignavi; læti ſufferre poteſtis
Et cœlo exilium, & terra? nunc flete ſub umbris.
Lucifer, his dictis, horrendum immugijt, atque
Horribile Infernus reboat; Terrā vis cōcutit ingēs.
Mira deinde ſequi vulgi commotio: bellum
Pro ſe quiſque cupit, rixas, odia aſpera poſcit.
Verticibus ſeptem, denis & cornibus ecce
Beſtia conſurgit, ſimilis pardo; ore leonem,
Atque urſū præfert pedibus; maris humida linquit
Marmora. Monſtrū ingens blaſphema per ora coro-
Affectat: maculas effrons oſtendere mentis (nas
Non timet; atrocem vincit feritate leonem;
Craſſis villoſi pedibus deformior urſi:
Septeno capiti nulla eſt ſententia conſtans:
Cornibus infamiſne ſit, anne tremenda, putabis.
Uritur interius, coquit atras flamma medullas;
Et denſum patret ut facinus, levia omnia linquit;
Fulmineiſque ferox verbis, ſic incipit audax.
Extremos me poſſe puta perferre labores,
Extremos me velle ſcias: depromere vires
Debeo: talem animo lacrymabilis æthere lapſus
Adjungit ſtimulum; æterno vindicta dolori
Dulcis erit. Cuperem bellum intentare Tonanti,
Hoc plus quā cuperem; ſed tantum poſſe negatur:
Sed ſi nil aliud, ſua corrumpatur imago.
Dignus erit limo formatus imagine tali?
Nos incorporei nigro damnabimur orco?
Monſtrum immane, ferox gelido nutritur in Axe;
Quæ

Quæ nova fert ſemper,nunquam tulit Africa tale;
Lutherum dicunt, ego Dæmona credo, nec erro:
Debuit aut ſtygio monſtrum prodire parente;
Styx dedit altricem, ſitientibus horrida buccis
Ubera compreſſit. Tu me Luthere magiſtro
Pejus in omne rues, doctore profanior ipſo.
Me tradente dolos, & mille ſophiſmata diſcet;
Impatiens famam magno vel crimine quæret,
Quodlibet audendo promptus, temerarius, audax;
Et facilis ſimulare fidem, ſed frangere certus:
Fiet ſacrilegus, vetitaque libidine fœdus;
Noverit unanimes odijs turbare ſodales. (gue,
Romanos, quondam heu noſtros,cane pejus,& an.
Oderit; his bellum neque voto indicet inani;
Proteret, affliget; niſi me fallacia produnt
Omina. Sic odijs mala beſtia fervet iniquis.
Dixerat,& certum dubio non murmure vulgus
Aſſensêre omnes; inventaque perfida laudant.
Iamque ſuos certus Princeps ſatiare furores,
Oſcula libavit ſocio; nigraque corona
Sublata capiti, lætus ſeptena decorat
Tempora. Tunc ingens toto fit plauſus in Orco:
Sic Draco jus tribuit tenebrarum,&Beſtia ſumpſit;
Divinoſq; (nefas) ſumpſit Draco teter honores,
Dantibus at reprobis;ſimiles quoq; Beſtia ſumpſit.
Qui caræ geminum genitrici debuit ortum;
Nempe utero primum debet,lacrymiſq;ſecundum;
Viderat hunc Carthago malũ,bonus attamen arvis

Factus in Heſperijs: Divino Ambroſius ore,
Intus agente Deo, dogma ejurare Manetis
Fervidus impulerat: pulſis exinde tenebris,
Qui fuerat tractus traxit millena virorum
Millia: nam, dictis vehementior, ipſe reliquit
Secula in ancipiti, poſſitne potentior illo
Surgere: quis magno ſe conferat Auguſtino?
Hujus ad exemplum commoti corde ſodales
Convenêre; volunt, ipſo monſtrante, ſalutis
Anguſtam calcare viam. Quot protulit Orbi
Vinea Chriſtiadum generoſos iſta racemos!
Lutherus tanto ſoboles indigna parente;
Sic conceſſum olim Sauli augere Prophetas;
Efficitur; corpuſque ſacro circumdat amictu:
Sed remanet ſub pelle lupus Martinus ovina.
Et juvenis ſacros, quos ſpernet poſtea, ritus
Imbuitur. Qualem, heu, quantamq; Eccleſia peſtẽ
Educat! Ingratus lacerabit viſcera matris.
Sed Malus impatiens, ſcenæ præludia geſtit
Edere. Sacrilegus primo ſacra tempora facto
Deligit: his gaudet depromere perfidus artes
Temporibus; puros ſolitus turbare liquores.
Nempe quaterdenis jejunia ſacra diebus
Servabantur; habet veterem hunc Eccleſia morem,
Exemplo docuit Chriſtus, docuêre Prophetæ.
Illis præcipue factum de pane celebrant
Sacrum Chriſtiadæ Corpus: jejunia caſta
Caſtis apta cibis. Illis ſacra verba diebus
Thu-

Thure vaporato, ceraque ardente leguntur.
Verba legebantur; Ieſus pellebat ab ægro
Corpore Dæmonium, non jam quodcumq;, ſed acre,
Et mutum. Ecce tibi valido Martinus anhelat
Corde fremens, totoq; tremit jam corpore, vultũ
Pallor habet, coma ſtat, vaga paſſim lumina nutãt:
Genua labant, terramq; premit iam corpore toto;
Protinus exurgit, virus deſpumat ab ore;
Inde, reluctantes reſerans mala Beſtia fauces;
Horrendum reboat diducto gutture; NON SUM.
Clamat pauca equidẽ, ſed verba horrentia clamat;
Scilicet, obſeſſo quem Dæmone pellit Ieſus
Corpore mutus erat: loquor, inquit, & audior, iſte:
Non ſum mutus ego; clamabo, vociferabor,
Audiar; & linguis, ac faucibus infinitis
Promã verba loquax multa, horrida, ſubdola, prava:
Nempe verecundum deteſtor, abominor audax;
Non ſum mutus ego; ſacra impugnabo profanus;
Sacrorumq; Caput; nam magno vilia ſordent;
Audax aggrediar; ſpolijs delector opimis.
Quid tantæ firmi ſatis oppoſuiſſe procellæ
Invalidi poterunt homines? Sed, navis in alto
Gurgite ſi mergi videatur, inambulat uda
Chriſtus, & impavidis victor premit ęquora plãtis;
Is verbo ventis agitatas comprimet undas;
Et mare cum ventis, tempeſtateſq; ſonoræ
Accipient requiem, tenebrarum Principe pulſo.

Digitized by Google

MANIPULUS IV.

OFFICIOSA.

Pleraque ſunt etiam, quoniam obſervantia poſcit,
Carmina præcipuis officioſa viris.

Lectori.

Facta fuêre velut, ſic ferme epigrammata pono:
Nil præjudicij parturit ordo libri.

Laudator, & Adulator.

Qvam ſimiles *Laudator*, *Adulatorque* videntur
Nominibus, tam ſunt finibus abſimiles.
Utile quærit *Adulator*, *Laudator* honeſtum:
Ille bonum proprium quærit, hic alterius.
Laudat hic ex vero, quando ille eſt ſimia veri:
Fumos ille viro, thura dat iſte Deo.

Ad Reuerendiſſimum Patrem Ioannem-Paulum Olivam, Societatis Ieſu Generalem.

Herculis eſt platanus; ſed laurus Apollinis eſſe
Obtinuit; Bacchi flexilis eſt hedera;
Myrthuſq; eſt Veneris: folijs non fructibus aptæ:
Frugifera at doctæ Palladi OLIVA placet.

So-

Sc etatis erant ſapientis ſymbola forſan,
Quam virtute ferax doctus OLIVA regit.

S. D. N. Clementis Noni vota.

SIc fatur lacrymans, Petri qui paſtor in alta
Sede ſedet Clemens; audiat omnis ovis;
Siccine me vivo confunditur undique mundus?
Nil ago, ſi per me non redit alta quies.
Ergone veſano ſcindentur ſchiſmate Galli?
Bella duos Reges exagitare ſinam?
Pyramis ante oculos alma durabit in Urbe?
Cretaque me peſſum nil operante datur?
Schiſma fugit, pax alma redit, Regeſq; quieſcunt,
Pyramis aufertur, Creta recepit opem.
Auditum Paſtorem ovibus quis neſciat inde?
Clemens, atque bonus Paſtor amandus erat.

Ad Eminentiſſimum Cardinalem Jacobum Roſpilioſum.

O Dilecte Deo, ſummi, quem pronus adorat
Mundus, Pontificis digne Iacobe nepos:
Quicum, participans oneroſi pondera cœli,
Alter Athlas humeros ponis in axe tuos,
Aſſiduus ſacras cum digeris ordine cauſas;
Reſponſa ex adytis ut pretioſa feras.
Excipiunt alacres læto clamore Quirites;
Colligit applauſus Patruus unde ſuos.

Nec mirum : ſi corde hilaris, gravis ore, ſerenus
Fronte, velut paleam ſuccina, corda trahis ;
Quolibet, ingenio pollens, & amator honeſti,
Hyblæis homines vocibus ire jubes ;
Aureus antiqui ſervatus ab ordine ſecli,
Seculum ut hoc ferri lætificare queas.

De eodem Chronicum. 1668.

RoſpILIosVs aDIt Reges, paX aLMa refLoret.

Ad Eminentiſſimum Cardinalem Felicem Roſpilioſum.

TE quoq;, quem juvenem ſero tegit, optime Felix;
At foret ut felix, purpura ſacra decet.
Dignus eras : Clemens ſed patruus abſtinet illa
Te decorare ; nimis quippe modeſtus erat.
Purpura ; ſed Clemens ſi noluit addere Nonus ;
Felici à Decimo reddita jure fuit.
Ut Felix propria felix virtute fuiſſet,
Virtus num felix, ſi ſine veſte foret ?
Felices, veſtit duplex quos purpura, fratres ;
Alæ remigio duplicis Aſtra patent.

Ad

Ad Sereniſſimam Chriſtinam tribus Regnis Sueciæ, Gothiæ, & VVandaliæ ſe abdicantem.

Echica.

DIc mihi muta loquax reſidens in vallibus Echo,
An Chriſtina Deo ſit bene grata? RATA.
Dic etiam, quæſo, multoſne meretur honores
Chriſtina à populo, geſta per inclyta? ITA.
Scire velim, quæ ſint hæc geſta; an terna reliquit
Regna, quibus poterat dicere, vos mea? EA.
Inclyta ſemper eris ſeclis Chriſtina futuris,
Quando Deum regnis plus revereris. ERIS.

Iterum.

THarſus, Medus, Arabs, placat, veneratur, honorat,
Thure, Auro, Myrrha Numina, Sceptra, Rogum.
Hi quod muneribus, præſtas tribus inclyta regnis:
Plus Regina tribus Regibus una potes.

Ad Eamdem.

ΧΡιστῷ τῆς χήρας πτωχῆς ἤρεσκε κοδράντης·
Εὐγνώμων ἀγαπᾶς χερσὶ δότην ὑλαρόν.
Τις δ' ἔγνω, ταύτη ει εἴη πλούσια χήρα,
Ἐξ ὑλαρᾶς εἴη δώκασα πόλλα φρενός.

Πεί

Πείθομ' ἐγὼ τὶ ἂν ὖσα πένης βασιλεία δεδώκη,
  Οὕτως διογένη τὴνδε διδῦσα δόσην.
Πῶς μὴ ὖσα πένης ἀδύτω δύο λέπτα δεδώκη,
  Ἐξ ὑλαρᾶς κραδίας δώκασα σκήπτρα τρία;

Idem latine redditum.

CHriſto inopis viduæ munuſcula grata fuêre:
  Scilicet ex hylari corde profecta placent.
Quis ſcit, an hæc mulier, ſi dives forte fuiſſet,
  Ex animo pariter magna datura foret.
Non dubito ſane, quid inops Regina dediſſet,
  Quæ ſuperat doni nobilitate genus.
Quomodo non pauper Chriſtina duo æra dediſſet
  Corde hylari, quæ nunc dat tria regna Deo?

Ad Eminentiſſimum Decium Cardinalem Azolinum.

SUnt tabulis præcepta decem contenta duabus,
  Quæ ſervata dabunt ire ſalutis iter.
Quinque talenta ſibi ſervus capit; altera quinque
  Addit: & à Domino dicitur; Euge bone.
Qui facis iſta decem, Decius tu rite vocaris,
  Promptus ob hoc, Decij more, vovere caput;
Lætus uti Tyrio caput exornare galero,
  Sanguine ſic propriam notificare fidem.
Sed qui Clavigerum Fratres firmare rogavit,
  Hos prius in Petra te ſolidare dabit.

Ca-

Cæſar Auguſtus docetur munificentiam.

GRæculus Auguſto verſus offerre ſolebat,
Quando magnificis poſtibus egreditur.
Cæſar præveniens, quod finxerat ante, poëma
Obtulit; ut verſus verſibus ille daret.
Græculus accepit, legit, laudavit, & æra
Pauca dedit, dicens; plura nequivit inops.
Et fit magnificus diſcens a paupere Cæſar,
Corrigit &, donans multa talenta, moram.

Conſaluus Cordubenſis.

MIlitis ante fores Conſalvus ſæpe ſolebat
Tranſire; an caſu neſcio, forte dolo.
Egregias forma, viridique ætate puellas
Pauper alit, grandes, & ſine dote domi.
Arripuit genitor fortunæ quamlibet anſam;
Utile præ juſto ponit, aditq; Ducem;
Orat, aitq;, domi res eſt anguſta, paratum
Invenies, ſi quod munus habebo foris.
Audijt hoc, dixitq;, domi quem linquis? At ille,
Natas præſtanti corpore linquo duas.
Dux ait, expecta: conclavi ſe ipſe recludit;
Capſam aperit; numerat millia bina viro.
Tum duo pro binis concedo millia natis,
Dixit: eritq; ſuo tempore cura tui.

Ne-

Neſcio quas ob res magnus, vel facta vocetur;
Magnus ob hoc, quovis judice dictus at eſt.

Mors unius vita alterius Hiſpaniæ Principum.

UNus ſi moritur Princeps, en naſcitur alter.
Alternant pariter vitaq;, morſq; vices.
Felices nimium Auſtriaci, dominantur ubique,
Ille polo regnat, præſidet iſte ſolo.

Philippus IV. moritur.

HEſperij atq; novi moritur Rex inclytus orbis:
Accidit hoc cunctis; naſcimur, & morimur.
Fallor, an excipitur communi a lege Philippus?
De regno ad regnum migrat, adit melius.

Iterum.

COrporis exuvias, hominũ de more, Philippus
Solvit, & ad Dominum talia verba dedit,
Te ſupplex rogo, Chriſte, mali miſerere Philippi,
O bone fac mecum pro pietate tua.
Rexmalus eſt dictus Siculus Guilielmus: at ille
Se vocat: a populo dicitur iſte malus.
Vox populi vox illa Dei: vox unius autem
Nullius eſt: ergo eſt hic bonus, ille malus.

Car-

Cardinalis Medicæus.

DUx eſt, Italico qui magnus in orbe coruſcat:
Almæ germanus Cardo ſed Urbis erat.
Exitum ab introitu vinci quandoque monebat
Ille, qui ab expenſis; ergo recidat, ait.
Aureus at Cardo, cui mens ſimul aurea, dixit;
Si quid abundarit, tu reſecare potes.
Ille manu celeri feſtinat ſcribere quos vult;
His tibi non opus eſt, miſſio & æqua foret.
Nomina cunctorum placide ſed Præſul oberrans,
His ego non egeo, me tamen, inquit, egent.
Frigida ſi pugnent, ſuccumbere neſcius ignis
Hoſtes exuperat, ſi generoſus erit.

Cardinalis Montaltus.

MOntaltus, Tyrio qui a Cardine dicitur altus,
Altior erga inopes à pietate fuit.
Hunc vidua oravit, cui nubilis una puella,
Præſtet ut auxilium; nubere ut illa queat.
Scribere at ille volens munus dotale puellæ,
Spontene, vel caſu, ſcuta trecenta notat.
Exceſſum attonitus vidit numerator, aditque
Patronum; &,nimium penna volavit, ait.
Penna, ait, erravit, quæ Monte volavit ab Alto;
Corrigat errorem, millia trina notet.

Quan-

Quando laude fuit ſumma digniſſimus error,
  Correxiſſe quibus laudibus afficies?

Emmanuel Rex Luſitaniæ.

ſibi prandium ſine ſanguine parari jubet.

QUi Luſitanos ignota per æquora miſit
  Emmanuel, Indis Æolus alter aquis;
Cras, famulo dixit, menſam ſine ſanguine ſterne;
  Fecerat hoc votum Rex pius ille Deo.
Quid faciam? quid emam? ſubjunxit acerbior iſte:
  Sanguine quis piſcis, qui ſine? quæve caro?
Unus Eques gladium alterius denudat, & inquit;
  Eſca ſit hic enſis, cum ſine ſanguine ſit.
Iejuno lapides Chriſto Malus obtulit olim:
  Tentat hic ancipiti dirius enſe duos.

Mareſciallus Turenius Calviniſmum abjurat.

Chronicon duplex. 1668.

perDItVs aMIſſo pereas CaLVIne tVreno:
  CLeMens none pater DVX tIbI fIet honor.

Ignis Æthnæus.

Chronichon duplex. 1669.

IgnIbVs æthna fLVIt, præDatVr CoMpIta, & a-(gros:
VIM LVIs aſt Agathæ ſaCra retVnDIt opIs.

In Natalem Excellentiſſimi Domini Iuliani Columnæ ex Philippo Principe Sonnini, &c.

E St firmam fundata ſuper domus inclyta petram:
Suſtinet excelſam firma COLUMNA domum.
Attamen Herculeis ne ſit minor iſta columnis,
Altera coniuncta eſt, non ſatis una fuit.
Sed titulũ Caroli domus hæc, non Herculis optat:
Auſpice PLUS ULTRA Numine ſemper erit.

Ad Excellentiſſimum Dominum Benedictum Panphilium.

O Mnes ſi quis amat redamatur ab omnibus ille;
Et BENEDICTUS erit, qui redamatur amãs.
Quando Panphilius παντῶν φιλ☉. eſſe videtur,
PANPHILIUS cum ſis, & BENEDICTUS eris.
Hinc melius Salomone tibi tua Lilia florent,
Pacis oliva docet, pura columba probat,

Flo-

Digitized by Google

Florida ut a cunctis BENEDICTUM Lilia clamãt,
Sic & PANPHILIUM candida ſignat avis.

Ad Eminentiſſimum Cardinalem Ottobonum.

QVæ tu non quæris (virtus majora præoptat)
Carmina do meritis officioſa tuis.
Qui bonus eſt, ſine laude bonus durabit in arcto
Tramite virtutis: firma ſtat ipſa ſibi:
Ambulat ipſa ſuis pedibus nam vivida virtus;
Scipio nec laudis donat inire viam.
Virtutem virtute bonus, non laude, ſequetur:
Hęc bonus:iſta magis præſtat ut OCTO BONUS.
Invidia abſit, ais, non jam mea nomina tantum
Significant: fieri ſed magis OPTO BONUS.

Emminentiſſimus Cardinalis Carafa morum exemplar.

SI quis homo ſapiens exoptat degere CARA
FAta, tuo degat magne CARAFA modo.
Quæ vitæ præcepta Deo fore CARA FAteris,
Quæ documenta viris, hæc tibi CARAFAcis.
Sic tua vita Deo, ſic cunctis CARA FAtenda eſt;
Sic mihi & exiguo CARA FAtebor, erit.

Ad

Digitized by Google

Ad Eminentiſſimum Cardinalem Everardum Nitardum.

EVERARDUS NITARDUS.

Anagramma.

ARDUUS ENITAR: DURES.

ARdua res virtus? Iter arduum & ARDUUS, inquis,
ENITAR: fiet, ſi pia clauſtra peto.
Intrepidus DURES; vincit patientia durum;
Virtutis ſocia eſt gloria; ad alta venis;
Vel potius raperis: tibi lecta eſt ultima ſedes;
Scande, tibi Dominus dixit, amice ſupra.

Ad Emin. Card. Galeatium Mari-ſcotum, Ferrariæ Legatũ. Alluditur ad gentilitias Tigrem, & Aquilam.

AUſonium ſolidare Patrem cum Carolus Heros
Venit, & Imperij ſumere jura ſacri;
Antiqua * Marius qui fulget origine Scotus,
Galvia gens, multo milite promptus adeſt;
Guillelmo Comitem fratri Rex junxit Achatus;
Fortis hic, Euryalo Niſus ut alter, erat.
Velox, more Tigris, virtutis ad ardua currit;
Et, Iovis ut volucris, præpes ad alta volat.

Stirpe, Mari-ſcote, hac poſt ſecula naſceris octo,
Quem virtus homines tranſilijſſe dedit:
Heſperijs ſiquidem, Theutonibus, atque Polonis
Angelus Italici fers ſacra jura Throni:
Purpureo poſthæc fulges Archangelus oſtro,
Munia Romani nam geris alta Poli.

Thomas Dempſterus Scotus in Appar. ad Hiſt. Scoticam.
Georg. Conæus de dup. ſtatu Relig. apud Scotos.
Petrus Creſcentius in Hiſt. ſeu Cor. Italicæ nobilitatis.
Ambr. Larducius in Vita B. Nicolai Mari-ſcoti. Et alij.

Ad Illuſtriſſimum Dominum Ioannem Sluſium S. D. N. à ſecretis Literarum Brevium.

MUlta tibi cum gente omni commercia linguæ:
Ut Sancto referas poſtea verba Patri.
Theſauros Cœli tribuit te Papa miniſtro;
Et ſacris per te clavibus uſus adeſt.
Annulus ille ingens, a Piſcatore vocatus,
In chartis per te figitur Attalicis.
Attamen aſſiduus numeroſa volumina volvis;
Et, cum multa ſcias, noſcere plura cupis.
Debuit innumeros percurrere ſedula flores;
Alveo ut ex ſacro mella refundat Apis.

Ad Reverendiſſimum Patrem F. Raimundum Capiſuccium, S. Palatij Apoſt. Magiſtrum.

QVod Iovis è cerebro natam dixêre Poëtæ
Pallada, mendaces credo fuiſſe putas.
Attamen ingenio claram laudare volebant,
Quæ trahat a prima nobilitate genus.
Pallas eat: RADIUM MUNDI Capiſuccia gens dat
Raimundum, antiquis nobile germen avis.
Seculo ab hinc quinto, Petrus hac de gente Senator
Urbis erat: * fulvum, crede, numiſma probat.
Aurea zona micat; ſunt hæc inſignia gentis:
Sol in zodiaco tunc Petrus Urbis erat.
Doctis præfuerit Pallas: Capiſuccius illis;
SUCCUS ineſt CAPITI; poſtmodo Cenſor erit.

* *Aureum numiſma cum inſignijs Familiæ Capiſuccia, à Petro Capiſuccio, anno 1251. Vrbis Senatore cuſum, apud Dominos Capiſuccios aſſervatum.*

In Poëſes Academiæ Infœcundorum, Magnæ Virginis Matris Nives Symbolo præferentis, binas a ſingulis editas.

INfœcunda Nives Academia diceris inter;
An bene? quando uber frigida zona viget.
Scilicet externæ ſtipantur frigore partes;
Internæ capiunt vim, coëuntq; magis.

Quando verecundæ furtim Lucina Parenti
 Educit ſobolem, frigora denſa noto.
Proles nervoſa, & viva compage ligata
 Semina virtutis magna potentis habet.
Centeno felix duplos alis ubere partus;
 I nunc, & ſterilis dicere magna parens.

Infœcundorum ἑρμηνεία.

QUi lætum,& bellũ, deforme hoc, triſte ſed illud
 Nomine nil gaudens, uſque vocare ſoles;
Infœcundorum miraris nomina? quando
 Ambigua docti ludere voce ſolent.
Tu bonus hoc Hermes ſic utere nomine; partus
 CONDO FidE IN diva Virgine Matre meos.

In ſtatuam equeſtrem Invictiſſimi Ludovici XIV.
Sculptore Eq. Bernino.

PRotinus accipiet, terras ut liquerit, alas:
 Iam non ſolus erit Bellerophontis equus.

Aliud.

Verticem adit ſummum, rupemq; aſcendit in altã:
 Quid faciet campo liberiore volans?

Aliud

Digitized by Google

Aliud.

SAxoſum Ludoicus iter generoſus inivit:
Invia virtuti, clauſaque nulla via eſt.

Ejuſdem de Batavis victoria.
Alluditur ad numiſma Batavorum
Ioſue dicentem, Sta Sol, *repræſentans.*

A Ludovico victa eſt Hollandia; parva
Vt LUDO VICUM vinceret ipſe manu.
Qui ſtetit ergo Status, veluti ſtaturus in ævum,
Dum ſtatuit Gallus deſtitit eſſe Status.
Iuſſerat ille Status mare, flumina ſtare, ſtetêre:
Stare etiam ★ Solem juſſit, at ille ruit.

★ *Sol eſt ſymbolum omnia pervadentis Ludovici.*

Iterum,

DVm plaga Liligero Burgundica Sole caleret,
Audaci hunc Batavus ſiſtere voce jubet.
Sol ſtetit effuſus, calidaſq; recolligit iras,
Et minimo Batavas tempore ſiccat aquas;

Chronicum.

EffræneS BataVos o LVDoVICe trIVMphas.

Iterum.

STa ſol, confidens Ieſus cum diceret olim;
Humanis parens vocibus ille ſtetit.
Liligero ſoli Batavus ſic imperat, ut ſtet:
Exitus Hollando ſed Phaëtontis erit.

Excidium Batavorum, ob defectum pluviæ.

AGgeribus factis ingentia flumina contra
Ergo ſtetêre Status. & cecidêre ſtatim?
Qui maris in fluido potuerunt ſtare natantes,
Nullo de cœlis imbre cadent eruunt.

Hodierna Regum cataſtrophe.

TEmporibus noſtris Regnantum tollitur unus;
Anglorum Carolus Rex miſer enſe perit.
Tinnitum ſtupidis facit hoc ſcelus auribus, atrum
Ore verecundo fama loquetur opus.
Quis neget amiſſa miſerum doluiſſe corona,
Quæ caput abſtraxit? tam gravis illa fuit!
Temporibus noſtris regnum Chriſtina relinquit;
Et regnum oſtendit vilius eſſe fide.
Inde Polonorum Caſimirus ſplendida ſceptra
Abijcit: huic gravis eſt cura corona nimis.
Scilicet & regnum pretioſum, & vile putatur!
Ille hîc optat, ubi eſt; hicq;, ubi ſemper erunt.

In natalem Sereniſſimi Ioſephi ex Imperatore Leopoldo.

Chronica duo. 1678.

eDItVr aVstrIaCIs gerMen, paX aLta per Vrbes;
sIC DatVr, eXpVLso Marte, benIgna qVIes

Pax Anni 1678. *Chronica duo.*

gaLLVs, Iber, bataVVs fregerVnt fVLMIna DIra
sVrgat Vt eX rVbro CLarIor IMbre DIes.

Bellum Siculum Chronicis deſcriptum.

aVDaX beLLa gerit Meſſana, reLInqVIt Iberos.
Dant GaLLI aVXILIVM, fert patIenter Iber.
VIDerVnt naVes sICVLI Igne perIre panorMI.
DVM rVIs, InVItIas CLaſſe rVIter Iter.
gaLLVs abIt Meſſana reDIt, eXVLtat IberVs.
Gallus, Iber, Siculus ſic mala ſponte ferunt.

Inundatio Urbis Panormitanæ. Chronica.

FeLICI torrens en MortIfer InVIDet VrbI.

Conflagratio Portæ novæ, ibidem.

HeV noVa ab æthereo fVLMIne porta CaDIt.

Remedium utriuſque mali.

TorrenteM feLIX Vrbs rIDet ab aggere faCto.
AssVrgIt MeLIor DIV noVa porta CIto.

Ad Illuſtriſſimum Dominum Iacobum Emerix,
Sacræ Rotæ pro Germania
Auditorem.

MOrtales fortunam animo reverenter adorant;
Et tamen inſtabili conſidet illa rota.
Tu. quam ſancta Themis radijs æqualibus urget,
Cæſareus doctam volvis in Urbe Rotam.
Hæc Rota, quæ ſacrum rectiſſima circinat Orbë,
Sacra ſacro Papæ nomine jura rotat.
Errabunda rotat rota ſortis, imagine Lunæ:
Sed tua de Cœlis fixa ſtat ORTA ROTA.
Scilicet, abjectis animo juſtiſſimus auris,
Regium iter recta pergis inire Rota.

Re-

Regium iter dixi; ſed Pontificale probatur;
Cæſaris es, præfers te tamen eſſe Dei.

Ad D. Ioannem Lottum, Poëtam celeberrimum.

SEmper ad Aſtra ſolet tua cygnea penna volare:
Altius at Cœlis hac vice, Lotte volat
Me facis Alciden; humilemq; extollis ad Aſtra:
Sic, quid ego non ſum; tu, quid es, ipſe doces.
Ulterius pergis; Soliſq;, Prometheus, ignes
In terras iterum, fur ſacer, axe trahis.
Nigra ut nube ſolet formare parelia Phœbus,
Sic radios in me fingis Apollo tuos.

Ad Clariſſimam Heroinam D. Helenam Lucretiam Corneliam Piſcopiam, omni literarum genere Excellentiſſimam; & Academiæ Infœcundorum adſcriptam, dum publicas theſes propugnat.

NObilis, heroici Veneti Catharina Senatus,
Cypria quæ Regno, filia caſta fuit.
Illa tuos ortus Helene Cornelia tangit;
Tu doctis ſuperas artibus alta genus.
Non tibi cura fuit tenui vaccinia lino,
Nec Phrygia nitidas pingere ab arte roſas.
Rhetoricos Phrygijs præponis docta colores:
Spernis acum, & telam; penna, libriq; placent.

Tu non fœmineum ſtudijs das pectus apertis;
Miraturq; tuas docta corona theſes.
De Veneta Urbe ferunt, cui tu quoque filia matri;
Illam homines dices, an poſuiſſe Deos?
Quæ ſtudijs homines majoribus inclyta vincis,
Tene homines dicent, an genuiſſe Deos?

In morte D. Paulæ Nimbrinæ. Alluditur ad ejus ſtemma, Enſem & Baculum nodoſum decuſſata; & ad gentilitiam Co. Camerati ejus viri Manum clava inſignem.

Virgineus ſuper Aſtra Chorus;dum laudibus Agni
Exilit, & ſponſo Lilia caſta probat;
Conijcit in terras, Comitum ſtudioſa ſuarum
Lumina; Nimbrinam conſpicit ecce ſuam:
Enſe videt Baculoq; ferum impugnare Draconem;
Scilicet illecebras ſtrenua virgo domat.
Nec leve certamen ſuberat pro virgine pulcra:
Cum forma peragit prælia magna pudor.
Suppetias armata Manus quæ conferat adſit,
Inquit, ut e victo certior hoſte micet.
Ecce Crucem faciunt Baculus nodoſus, & Enſis:
Gaudeat ut ſigno quod ſuperare dedit.
Poſtea victricem ad conſortia læta vocarunt:
Inviſit comites Paula vocata ſuas;
Pone modum, dicens, lacrymis, feſtaſq; choreas
Ne turbes pluvijs, care marite, tuis.

In ſermones familiares
Reverendiſſimi Patris Ioannis-pauli Olivæ.
Alluditur ad illud Iudic. 9.
Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem.

QVi prius, orando, Papam, ſacrumq; Senatum
Officio monuit rite vacare ſuo;
Non refugit ſacri Socijs quoque pabula verbi
Diſpenſare pius paſtor Oliva ſuis.
Carbaſa ſive premat Socijs, ſeu ſublevet illis,
Pondus ineſt verbis utile, dulce, grave.
Sic homines ſolidat, mulcetq; ſuavis OLIVA;
Sic etiam magnos recreat illa Deos.

Cypri-

Cyprianus Nemeſiano, & cæteris Martryibus.

Argumentum.

S. Cyprianus Epiſcopus Chartaginienſis, Primas Africæ, in exilio, cauſa fidei, poſitus, miris præconijs effert Martyres ad metalla damnatos, ſingulis tormentis ſingula ſolatia, pulchra antitheſi, opponens. Epiſt. 77. Quam verſibus ſic exprimo.

PRæſul, & exul eam vobis ego mitto ſalutem,
Quam dedit ad Cœlos Paſtor iturus ovi.
Debueram præſens certamina veſtra videre:
Tanta decet tantos gloria, tantus honos.
Me tenet ejuſdem confeſſio nominis arctum:
Curubis eſt tellus, quæ mea vota ligat.
Hîc ego detineor juſſu Proconſulis; inde,
Qualiacumque ſequens juſſa, movere nego.
Corpore ſi nequeo, complector mente beatos
Martyres, & ſupplet litera noſtra vices.
Laudibus exulto veſtris; virtutibus iſtis
Gaudeo: participem ſic bene reddit amor.
Novimus in tantis ingrata ſilentia rebus:
Immemor officij penna ſileret iners.
Quando aliqui veſtrum pulcro certamine palmas
Sanguine victores obtinuêre ſuo.

Eva-

Evaſêre viri, navi ſtatione recepta,
Quam tumidi jam non verberat unda maris.
Euaſère inquam, ſuperarunt omnia fortes
Verbera, carnifices, vulnera, flagra, cruces.
Sed vos duratis, tenebroſo carcere clauſi;
Et cohibent alacres dura metalla viros.
Fratribus exemplo ſic vos, velut aſtra, præitis,
Accumulat titulos dum mora lenta novos.
Non equidem miror, quod vos diſcrimina tanta
Suffertis; facit hæc fortis adire fides.
Conſimili Dominus dignatur honore fideles.
Debuerat vitam claudere talis honos.
Sculpſit & in veſtra Chriſtus ſua ſtigmata carne:
Felices, quibus eſt ſtigmata ferre Ducis.
Arte laborantur; non ruſtica marmora grandis
Suſcipit excelſo monte locanda domus.
Abfuit a veſtra, quia puri nempe fuiſtis,
Omne ſcelus vita; finis honorat opus.
Paſtores gregibus vos oſtendiſtis, ad altum
Virtutis faciles quando præiſtis iter.
Fuſtibus afflicti, ſumpſit confeſſio veſtra
Principium; patiens ad mala perſtat amor.
Quiſquis amat Chriſtum, ligni nihil horret ad ictus,
Cui fuit in ligno tota reperta ſalus.
Aurea vos, pariterque argentea vaſa metallis
Addixêre: ſtetit pectore firma fides.
Quæ dare conſuerant foveæ fodientibus aurum,
Ordine mutato, jam bene ſuſcipiunt.

Tran-

Tranſverſuſque pedes veſtros incedere compes
Impedit; & ſtringunt ferrea vincla manus:
Felices nimium plantas, quas compede ſtringunt;
Ocius ad Cœlos ſic gradiuntur iter.
Quæve manus, mandante fero Prætore, ligantur,
Solvet in æternum Chriſtus, ut aſtra terant.
Spiritus eſt liber, ſi corpora veſtra ligantur:
Non violant auri ferrea vincla decus.
Compoſitum ferro melius cognoſcitur aurum:
Pulcrius hoc fuerit; turpius illud erit.
Martyribus fidei ſunt ferrea vincula torques;
Hæc ornare manus, non onerare ſolent.
Non fovet afflictum lectus, non culcitra corpus:
Sed recreat ſervos gratia Chriſte tuos.
Corpora feſſa jacent, nuda tellure locata:
Non eſt cum Chriſto pœna jacere; juvat.
Squalent membra ſitu, multa deformia ſorde:
Sed lavat interius ſpiritualis aqua:
Iejunis modicus præbetur panis in eſcam:
Ecce Dei verbo, quam bene vivit homo.
Semiamicta tegunt laceratæ corpora veſtes:
Qui Chriſtum induitur, ſat bene cultus erit.
Impexi crines longa cervice ſed horrent:
Cæſaries Chriſto ſic quoque compta placet.
Deformis facies, & deteſtabilis iſta
Si qua ſit, in vero lumine ſplendor erit.
Pœna brevis; labor exiguus mercede perenni
Solvetur: juvat hæc relligioſa fides.

Prœ-

Præmia magna nimis, ſed non indebita dantur:
Præmia promiſit reddere qui poterit.
Iacturam timidi magnam ſed forte putatis,
Copia quod non ſit ſacrificare Deo.
Eſt jactura gravis, fateor, caruiſſe medela,
Quando premit morbus: ſed medicina datur:
Sacrificatis enim, ſummo quod jure poteſtis,
Offertis quando corpora veſtra Deo.
Sancta placenſque Deo talis cadit hoſtia, fratres;
Victima quæ poterit carior eſſe ſibi?
Regius hoc Vates, afflatus Pneumate ſacro,
Iuſtorum Domino eſt mors pretioſa, canit.
Quis non excipiat pretioſam corpore mortem
Quando datur capiti certa corona ſuo?
Aſſiſtit Dominus, certantes adjuvat, hoſtes
Deprimit, exemplo ſuſtinet ipſe ſuo:
Dat vires, animoſque, & noſtro ponit in ore
Verba, loquuturi quæ ſumus ante Deos.
Cum vos tradiderint homines, nolite putare
Quid dicatis ait: Spiritus intus ait:
Creditis hoc fratres? Veſtra eſt fiducia magna:
Qui renuunt duri credere, pœna manet.
Pœna manet. Quæ pœna? ferox, æterna, tremenda;
Vermis ibi mordax torquet, & ignis edax.
Inſinuaſtis & hæc vos fratribus antea veſtris;
Sic paviſtis oves, ſic docuiſtis eas.
Verba præiverunt bona, & optima facta ſequũtur:
Maximus hic vero eſt, qui facit, atque docet.

Veſter fragrat odor: plebs multa cucurrit odore
  Tracta: coronata eſt portio magna gregis.
Vobiſcum confeſſa Deum, contempſit inanes
  Illa Deos; pœnas vincere digna ſuas.
Carcere vobiſcum juncta eſt, & juncta metallis,
  Sic bene Præpoſitis jungitur illa ſuis,
Commendat numerum digniſſima portio veſtrum:
  Ornat enim veſtrum plurima virgo chorum.
Ornat, & ornatur: quia ſolum virgo coronam
  Accipit: at, fuſo ſanguine, bina datur.
Sexagenus erit puris; centeſimus autem
  Martyribus fructus; digna corona viris!
Tanta quoque in pueris virtus, ut vicerit annos:
  Sic ætas Dominum, ſexus & omnis amat.
Macte animis gens cara Deo; conſurgite fortes,
  Veſtrum tempus adeſt, nunc decet eſſe viros.
Æternæ mercedis amor confirmet athletas,
  Certus, qui voluit vincere, victor erit.
Dura metalla thronos parient, ergaſtula cœlos,
  Exigui merces quanta laboris erit!
Interea precibus Numen ſatagemus amicum
  Reddere, perficiat, quod bene cœpit, opus.

MANIPULUS V.

VARIA.

M*Eſſe remanſerunt perfecta ſi quot Ariſtæ,*
Colligit, & panem pinſit anhela manus.

Secretum, quo inviſibilis evadas.

VIs inviſibilis fieri? brevis eſt via; tantum,
Utilis an fuerit, tu meditêre prius:
Vociferare, feri, furare, moleſtus & omni
Eſto homini: ſic te nemo videre poteſt,

In Hubertum I. V. Doctorem.

DEprimit, extollit, confundit, ſeparat, unit;
Innovat, antiquat; claudicat, atque volat;
Laudat,& extenuat; manifeſtat, & abdit;& ornans
Negligit; &, ſcandens ſidera, repit humi.
Quid velit ignorat: librum tamen edidit audax:
Si non ſcripſiſſet, Doctor Hubertus erat.

Ænigma Platonis.

LUmine vir, non vir, vidit, ſine lumine vidit
(Lux erat, & nigræ tempora noctis erant)

(non
Non avem, avem; cædit, non cædit; in arbore, quæ
Arbor erat; petra, quæ neque petra fuit.

Grammaticus malus.

GRammaticus malus Aulus erat, vir Cotta mali-
(gnus;
Devovet ille bonum ſero, malum iſte cito.

In Criſpum foenebrem adulatorem, & Priſcum funebrem laudatorem.

CRiſpus adulator, Priſcus laudator; & optat
Fœnus is in cumulo, funus hic in tumulo.

Mors quadruplex.

MInxerat in lecto puer; hunc ſoror enecat; illam
Mater; & hanc vir; & hic judicis enſe perit.

Epitaphium.

HOc mea ſub ſaxo conjux tumulata quieſcit;
Sic mihi, ſic illi denique parta quies.

Arx Schinchia. *Retrogradum.*

MIlitibus bene ſtat fortis nec Schinchia cedit
Sanguine profuſo nec male belligerat.

Pax

Pax Hiſpano gallica, Anni 1659.

GAllus, & Hiſpanus feriunt dum fœdera pacis,
In medio quare flumine conveniunt?
Currunt, & ſtabiles nunquam ſunt fluminis undæ:
Talia cum Gallo fœdera habebit Iber.

Speculum.

COnſulit in ſpeculo mulier formoſa figuram;
Oppoſitum exemplar vitrea forma refert.
Fallor, an innatam variant pigmenta figuram?
Simplex apparet, duplicitate nitet.

Iterum.

FVcatam faciem, ſpeculumque puella maritat;
Naſcitur ex fragili filia vana vitro.
Simplex exoritur vario generata parente,
Ceruſſæ, & ſpeculi filia, forma duplex,

Tanquam Salomon hic.

CRuda negat natum genitrix; vult filius illam:
Illa favet mœcho; rem petit iſte ſuam.
Teſtis utrimque datus. Sic judicat arbiter æquus:
Quando negat natum, debet habere virum.

Horruit ad tales, ut ad alta tonitrua, voces,
Et genitrix natum non tulit eſſe virum.
Noſcere nolebat, poterit cognoſcere natum:
Ut genitrix natum perdat, amica virum?

Cauſidicus, & Medicus. Bonos excipio.

CUi primas dederis, Medico, Iuriſne perito?
Curam unus vitæ ſuſcipit, alter opum.
Debes Cauſidico primas dare: quando ſeverum
Carnificem ad furcas latro præire ſolet.

Epitaphium.

NAta, pater: fraterq; ſororq;, maritus, & vxor
Hîc ſumus; hos omnes noveris eſſe duos.

Atrox uſura.

MVtuum ab Hebræo fertur petijſſe Quirinus,
Carne ſoluturus, ſi nequit ære miſer.
Contigit, elapſo nequeat quod tempore nummos
Solvere; Iudæus ſolvere carne jubet.
Solvere crudelis res eſt ſic viſa Quirino;
Iudicem adit: judex æquus iniqua cavet.
Uncia carnis erat, quam debuit; arbiter illi,
Mors te expectat, ait, pluſve minuſve ſeces.

Ab-

Abſtinet invitus crudeli fœnore carnis
Hebræus: circum-cidere crediderat.

Reus coram Iudice.

NEquam hominem juſſit ſe coram ſiſtere judex:
Paruit, & dixit: Ecce, Pilate, reus.
Reſpondit judex; meritus damnabere nequam;
Sed pro te nullas credo lavare manus.

Pœna extraordinaria.

MOrs viſa eſt tenuis laqueo ſuſpendere Marcum:
Inſolitum admiſit ſcilicet ille ſcelus.
Deformi, atque malæ uxori conjunctus Oranus;
Criminis inſoliti pœna ſit uxor, ait.

Latro.

OMnes de medio judex ſuſtolle latrones;
Surripiunt juvenes, ſurripiuntq, ſenes.

Alliud.

LAtro domum ſpoliat, magniq; ſatellitis illa eſt:
Retibus incluſa eſt, retia fugit avis.

Sordidus infelix.

INvenit amiſſam mulier bona forte crumenam ;
Continet illa ſuo ſcuta trecenta ſinu .
At qui perdiderat , ſchedis vulgaverat , illi ,
Qui reperit , decades ſe dare velle duas .
Reſtituit mulier; decades petit; ille recuſat :
Non bene bis repetis, quod ſemel, inquit,habes.
Falſum ait; hæc mulier, ſi quæ fuit, optima, verum
Dixerat; ut burſam repperit, illa dedit. (ſunt .
Novit ut hoc Princeps, vocat ambos . Protinus ad-
Scire amiſſa , inquit , ſcire reperta volo .
Hic ait , amiſi , viginti ſcuta trecenta .
Illa ait , inveni ſcuta trecenta , dedi . (diſti,
Non eſt burſa tua hæc : neque enim bona ſigna de-
Rex ait ; hanc alibi quære ; reperta mea eſt :
Fiſci jure mea eſt : mulier, tibi trado , deinde
Dixit. Et hic toto , partis amore , caret .

Diſcipulus ſuper Magiſtrum .

PErdit oves Paſtor , vetitos quia duxit in agros .
Quid dabis ? has reddi curo , forenſis ait .
Accipe dimidias, inquit . Vis fingere ſtultum ,
Ille ait ; & coram judice , perge , veni .
Hic non debet oves , judex juſtiſſime , dixit ,
Perdere : nam fatuos perdere grande nefas .

Pro-

Prodeat in medium, judex ait. Ille vocatus
Proſilit, & clamat, jubilat, atque furit.
Ibat hic immunis. Repetit promiſſa forenſis:
Ille flet, & ridet, ſibilat, atque fugit.
Diſcipulus didicit plus, quam cupit ipſe magiſter:
Lectio non ſimplex, ſed repetita dolet.

Aſtutia eluditur.

ACcipit a ſocijs mulier ſyncera duobus
Depoſitum; ambobus reddat ût illa ſimul.
Cauſatus ſocij mortem petit unus, & illa
Depoſitum reddit: credidit illa nimis.
Poſt aliquot menſes quandoque ſupervenit alter;
Depoſitum ille petit, quod ſocio illa dedit.
Quid faciat mulier? clamat tribuiſſe ſodali:
Nil juvat: ambobus reddere debuerat.
Ventum eſt ad litem: ſic judex terminat; illa
Depoſitum reddat, ſi comes adveniat.
Triſte lupus ſoli ſic inſidiatur ovili:
Sedulus at paſtor cogit hiare lupum.

Iudicium expeditum.

OPtat equum pedibus ſurſum, ſcapuliſq; deorsũ
Iuſtaq, pictori præmia ſpondet Hylas.
Pictor equum ſtatuit, ſed rectum? ſcilicet artis
Dedecus, inverſum pingere, jure putat.

Reſpuit hic tabulam. Lis coram judice fertur:
Hic tabulam invertit; lætus uterque fuit.
Hoc & judicium facili coque jure tuliſſes,
Qui verſare ſoles, ne flagret aſſa caro.

Rete ante oculos.

INveniunt vigiles furem, qui furta ferebat:
Tu quis es? Unde venis peſſime? Furta geris?
Heus bona verba, precor, defuncti defero paucas
Res; modo deceſſit; ſic jubet uxor; ait.
Dux vigilum mortem memoras ſine luctibus, inquit.
Si modo non plangit, cras bene planget, ait.
Ille ſuum ſic pergit iter. Sed mane ſatelles
Præteriens lacrymis omnia plena videt.
Cauſam fæminei planctus vult ſcire ſatelles.
Latrones, referunt, diripuêre domum.
Diſcurrunt vigiles, furantur nocte latrones:
Non vigil invigilat, fur vigilare ſolet.

Arma prohibita.

PAlliolo incluſus noctu Fulgentius ibat.
Tu quis es? Arma geris? Siſte; ſatelles ait.
Ille, gero gladium, reſpondet. Detegit alter;
Et plenum vino poculum habere videt.
Accipit, evacuat, vas reddit: aitq; ſatelles;
Accipe vaginam, cede mihi gladium.

Enſis

Enſis hic armabit cerebrum ſine mente; deinde,
Ni caveas, præceps proruis in caveas.

Solus in arte.

CRimen neſcio quis plectendum morte patrarat;
Hic & in oppidulo claviger unus erat.
Aſſiduis precibus judex oratur, ut illum
Liberet: alter enim claviger omnis abeſt.
Quid faciat judex? Delictum eſt morte piandum:
Ut faciat patrijs legibus ipſe ſatis.
Textores duo ſunt, quorum vel ſufficit unus:
Unum ex his, ajunt, corripe, parce fabro.
O amor in fabrum! fatuis qui jure catenas
Debuit haud lino texere, at ære graves.

Mulier cauta.

EMerat a Paulo jumentum vile ducatis
Quatuor Armillus: deinde ſecretus abit.
Dives ut evaſit, lucratus millia ſeptem,
Nunciat uxori velle redire domum.
Illa redire jubet; jubet autem nocte redire:
Creditor ille aliâs carcere ſtringet, ait.
Rana aſſueta lacu limoſam degere vitam,
Et poſita in ſudo rurſus ad uda redit.

Non egent, qui ſani ſunt, medico.

SYlla vocat medicum, modicũ quia nocte quievit:
Sanus erat vena, ſana fluebat aqua.
Digerit, incedit, defungitur omnia ſani
Munera; ſic medico ritè rogatus ait.
Tum medicus, ſi quæ tibi, juſſero pharmaca, dixit,
Quæ modo feciſti, poſtea non facies.
Una ſalus ægris caram ſperare ſalutem:
Cara ſuo ſed non quæritur illa modo

Oris cuſtodia.

VIſitat ægrotum medicus: cuſtodia, dixit,
Ori adhibenda tuo, quando valere cupis.
Scuto deinde æger præcinctus, & enſe repertus:
Quid ſibi vult, ait hic. Os ego ſervo, refert.

Leviter æger.

ADvocat exigua medicum mercede Quirinus:
Ut levis eſt merces, eſt quoque cauſa levis.
Huic, meus ut pulſus currit celer, aſpice, dixit.
Cui medicus; currit ſi cito, fertur equo.

Ebri-

Ebrius.

EBrius a medico vini interdicitur uſu:
Utraq; ni faciat, lumina perdet, ait.
Plena tamen vino ſemper vult ſumere pocla,
Credit & hac valida ſe ratione regi.
Caute curatis vermes veſcuntur ocellis:
Ne vermes comedant, hos prius ipſe bibo.

Servus nequam.

VApulat Achmetus; nolens, patrone, peregi,
Clamat: herus, nolens verbera perfer, ait.

Iterum.

STultorum regem dominus quandoq; vocabat
Servum: ſervus, ego rex tuus, inquit, ero.

In foribus Bibliothecæ.

UTere, ne laceres, ne turpes, perlege, lectos
Redde loco, poſthæc furibus obde fores.

Tempus veſcendi.

COmmoda veſcendi quæ ſit magis hora, requiris?
Eſuriens dives veſcere, pauper habens.

Pauper quomodo vivat.

DIc mihi, quid vitam tibi dat, miſerabilis Ire?
Quid mihi dat mortem ſi petis, ajo, fames.

Securus ex periculis.

NEſcio quid facias, inimicos mille recenſes,
Et tua tranquillus lumina ſomnus habet?
Dormio ſecurus, quia multis hoſtibus, inquis,
Cingor: at ex uno væ mihi ſemper erit.

Pelle timorem.

MIles Leonidæ: tantus ſuperadvenit hoſtis,
Ut ſolis radios tela vel ipſa tegant.
Cui ſic Leonidas, pugnabis, dixit, in umbra;
Nec tibi ſudorem pellere, miles opus.

Digitized by Google

Torquatus.

AUrea de collo tibi pendet manè catena;
  Altera mutatur ſerò catena tibi;
Inde alia ex alia. Liceat diſcurrere, magnus
  Stultus eris, cui non una catena ſat eſt.

Vinum lymphatum.

VIno miſcet aquam mercator, colligit inde
  Nũmos non paucos quos rubra burſa premit
Unguibus accipiter, deceptus imagine carnis,
  Surripit expoſitam; poſtea mergit aquis.
Ad flumen redeunt, veniunt qui ex flumine nũmi;
  Et fraudem in vino frigida tergit aqua.

Inquietus.

ET canis, & clamas, & vadis, & alite planta
  Curris, cuncta moves, iſq; rediſq; viam.
Neſcio quid facias, aut quomodo; ſiſtere neſcis
  Oſq; pedeſq; tuos: ſurdus es? invideo.

Uxor androphila.

FLavius æger erat, triſtis prope victima mortis;
  Uxor & hunc valde dicit amare virum.

Impia mors, inquit, ſaltem ſemel eſſe benigna
Nolueris; rogo te, me rape, parce viro.
Horribilis viſu mors adſtitit, audio votum,
Te volo, dixit. At hæc; falleris, æger ibi eſt.
Linea nere ſolet, non mortis fila tremendæ;
Telæ aſſueta timet fæmina tela necis.

Vita cælebs.

NVper Epicteto ſuadebat ducere quidam
Uxorem: cælebs attamen ille fuit.
Ducere, ſubjunxit, ſum hac conditione paratus,
Si mihi de natis nupſerit una tuis.

Alexipharmacum podagræ.

DEſtituor manibus, ſi quid patrare voluntas
Suggerit; ire volo, deſtituor pedibus.
Si me corripiat miſerum veſana podagra,
Omnia membra habeo, cum pedibuſq; manus.
Dixeris hæc; nimium eludet conſtantia morbum;
Ridendoq; gravi membra dolore levas.

Paſquinus.

PAſquinũ in Tyberim placuit jactare loquacem;
Obrutus, ut nulli iam maledicat, aquis:
Nec

Nec factum : forſan ne, factus rana, moleſtos
Vocalis quaxet nocte, dieq; ſonos.

Ex fœdere funus.

EFfugit a miſero mulier perverſa marito,
Diſceditq; alij perfida iuncta viro.
Ipſa tamen veniam, pacemq; recepit adulter;
Poſt miſer ille necem. Fœdera funus habent!

Roſa ſepta ſpinis.

GRata oculis; & veris honos roſa ridet in hortis;
Reſpicis, exoptas: tam pretioſa nitet!
Tangere ſed caveas; defendit ſpina ſatelles:
Regina abſque ſuo milite nulla fuit.

Paraſitus.

PIſcibus innumeris, parvis & grandibus olim
Menſa onerata fuit, principe digna viro.
Parvos coram ſe poſitos videt, accipit, auri
Admovet illacrymans mimus, in axe locat.
Quid facis, unus ait. Meus, heu pater, inquit, in alto
Gurgite diſperijt, dum fera ſævit hyems;
Hunc ego quæſivi, genitorem an viderit: ille,
Sum tener, hos grandes, dixit, adire potes.

Gur-

Gurgite piſcari patiens gula novit in alto;
Retibus, in menſis, non caret illa ſuis.

Mulier.

LImbus phantaſiæ, ſed purgatorius ignis
Burſæ, animæ mulier tartarus eſſe ſolet.

Bellum valde bellum. Latrunculi.

DVplex in tabula proprio cum Rege caterva
Pugnat, & ancipiti prælia ſorte gerit,
Et niveus nigros, & nunc niger occupat albos
Miles, & hoſtili vulnere fata ſubit.
Incipiunt Pedites gradibus certamina binis:
Signifer obliquo tramite carpit iter.
Prodit Eques, vario peragens ſua prælia ſaltu:
Fortia Rex cautus mœnia deinde ſubit.
Sed prius in quartam prodivit Signifer oram;
Quod vexilla gerat nomen habere ferunt.
Infeſtis ſubeunt certamen Amazones armis;
Omne per excurrunt, quâ dedit hoſtis, iter.
Tandem Elephas recto decurrit tramite; vaſtat
Omnia, ſic aciem turre tremendus init.
Mille modis acies tum dimicat; ater in album
Albus & in nigrum miles utrimq; ruit.
Sic sequitur bellum, verum ſine ſanguine, donec
Stulto Rege dolens vincitur una cohors.

Feli-

Felices nimium, gererent ſi talia tantum
  Prælia mortales: noxia, ſæva gerunt!

Remora.

COmmemorant remorã a remorata nave vocatã
  Hoc natura ſuum grande loquetur opus!
Qui negat, a remora remoratum dixero mente;
  Anne tot hiſtoricos ſponte negare velis?
Occultum *quale* eſt, ais, ignorantis aſylum
  Qui petis. Occultum hoc tu mihi pande velim.
Mira per alternum natura operatur amorem:
  Quis vetat alterni dicere amoris opus?
Navem inter, remoramq; mihi connubia jungis
  Vir bone? nil dicis; diſcute qnod refero.
Temonis datur, ut noſti, proportio navi:
  Parvus habet magnam vim ratione ſitus.
Subdiſtincta mihi remoræ proportio detur
  Ad clavum; ſed non tanta, ſed æqua minor.
Ut navem ventis agitatam temo refrangit,
  Sic remora adveniens vim quoque frangit huic.
Pellitur huc, trahiturq; illuc utrimq; refracta
  Navis; cum nequeat pergere, ſiſtit iter.
Ecce tibi paucis ſtatui, quod ſentio, verbis,
  Hac lege ut taceam, ſi meliora dabis.

Spreta tempeſtas.

LÆta ferebatur ventis tranſlata per æquor
Navis, & in portu iam prope ſiſtit onus.
Fœda ſed exoritur tempeſtas æquore toto;
Ut tu ſideribus tartara miſta putes.
Reddere quiſque Deũ precibus ſatagebat amicum,
Culpaſq; ex imo plangere corde ſuas.
Surgit, & in medio lacrymantum veſcitur Aulus;
Quando bibam tantum, veſcor, ait modicum.
Exiguumne tibi ſalis ille bibiſſe videtur,
Qui moriens tales eijcit ore ſales?

Calx, & carbo.

CVm, coquat ut lapides, in lignis ardeat ignis,
Albos cur lapides, at nigra ligna facit?
Fuſcabat lapides, reddebat lucida ligna:
Hi calx alba tamen, carbo ſed iſta niger.
Preſſus conteritur carbo, confringitur ictus,
Durat perpetuis carbo ſepultus aquis.
Frigida tangenti ſed ſervat gleba latentem
Calx ignem; ſentis frigus, & ignis adeſt;
Ignis adeſt, caliduſne, an frigidus iſte, requiro:
Nam frigere manus, lympha calere docet.
Frigida calx manibus, ſuffuſa fervet ab unda:
Qui teritur manibus carbo, reſiſtit aquis.

Una

Una ſic varij pendent ab origine caſus:
Ignea ſic faciunt ſidera, ſi quid agunt.

Parricida, & naticida.

MAnlius in nato rigidas facit eſſe ſecures;
Noxius occiſo tu Ptolomæe patre es.
Natura clamante, nefas patravit uterque:
Ingratus magis hic, ſed magis ille ferox.

Molitor.

LÆtus aquas habeo, quia purum tunc bibo vinũ:
Sed quia aquæ deſunt, heu, bibo triſtis aquam.

Metempſychoſis.

ASſerit ex cerebro Mahomethi interpres Homairus,
Quod mutent animas corpora ſæpe ſuas.
Viventi mihi, dixit Anub, da ſcuta trecenta;
Millia, mutati, ſcuta trecenta dabo.
Annuit ille; vadem concedi at poſtulat aptum,
Quod rediens poſt non beſtia, ſed vir erit.

Vir, & mulier.

QUid ſibi vult, mulier quod tam cito polleat uſu,
Tardius at contra vir rationis habet?

Ceraſus exiguo maturat tempore fructus;
Tardior & melior ſed ſolet eſſe pyri.

Oleum de quercu.

UNguine quercino ſcapulas vir inungere cœpit
Uxoris tumidæ: peſſimus iſte tumor.
Sed tumor alter adeſt chirurgo lucra daturus:
Hinc mulier ſecum talia verba refert;
Vir meus iſte tenax, quando diſpendere nummos
Eſt opus, areſcit: res bene mecum agitur:
Verberibus duris poſthac ego libera vivam:
Verberet ad nummos arida facta manus?
Falleris o mulier: nummos perſolvit, & addit
Vir tantumdem, alia pro vice, ſi ſit opus
Verberibus, dicunt, juvat addere congrua verba:
Frangere quam nequeunt verbera, verba valent.

Viri turpis uxor fœda.

DEformis Placidus, quo non deformior alter,
Advenam ab vrbe alia ſuſcipit ipſe domo.
Singula monſtrarat: tandem en mea, ſubdidit, vxor.
Reſpicit ille, quod hæc turpis, ut ipſe vir, eſt.
Iſta tua uxor, ait. Dubio procul, adijcit ipſe.
Advena, credideram quod ſoror eſſet, ait.
Hi ſine perſona poterant ſaltare Cyclopem;
Et, duo cum fuerint, ſcena erat illa loquax.

Mori-

Morientis anxietas.

NAta duodenos Herſilia nupſerat annos;
Protinus & caſto filia nata toro.
Cum vidua genitrice diu bona filia vixit,
Conſilium matris filia docta ſequi.
Iamq; annorum octava decas defluxerat illi,
Corporeæ juſſa eſt ſolvere molis onus.
En morior, dixit, moriorq; libenter: in uno
Vexor; pupilla hæc ſola relicta manet.
Sic mugit, deferre jugum bos ſuetus aratri,
A ſocio & cauſa quando quietis abit.

Secretum phyſicum.

SCrutatur phyſica in libro ſecreta Perinus;
Devorat hos alacres mens ſtudioſa libros.
Quod promiſſa facit dementem barba notavit:
Nam bona prudentem non facit eſſe caprum:
Nox erat, ad ſpeculum currit, lumenq; prehendit;
Incautus medios urit ab igne pilos.
Cætera pro dubijs teneas arcana Perine;
Ne dubites ſuper hoc; exitus ipſe probat.

Mala pro bonis.

ADvena, qui noſtras nuper pervenit in oras,
Obſtupuit, viſis axe, rotaq; molæ.
Credidit hoc magna, & ſacra virtute patrari;
Oſculaq; affixit liberiora notæ,
At miſeri fœdo laceratur vulnere vultus;
Acriter unde dolens talia verba dedit.
Certo certius eſt, quod Dæmonis arte rotatur
Hæc rota: ego veneror, qua miſer, heu. laceror.

Tenuis menſa.

FAbricium a longe famulus comitatur euntem;
Expenſis levibus ſervus hic altus erat.
Vertice Fabricius converſo, explorat, an inſtet;
Et lapidem ſcapulis impoſuiſſe videt.
Quid tibi cum lapide hoc magno, diſquirit. Et ille;
Aſſumpſi lapidem, ne ferat aura levem.

Servus nequam.

SIc domino ſervus blanditur ſæpius; in te,
Domne, meos Numen transferat, opto, dies.
Contigit in vaſta quod uterq; vagetur eremo,
Nox erat, & tellus candida tota nive.

Tum

Tum ſervus verbis ſe talibus explicat; iſtos
Domne, dies in te transferat opto Deus.

Malus hoſpes.

EXcipere armatos renuit Provincia tota
Hoſpitio: at gaudens excipis Aule tuum.
Qua ratione id agas cuperem te ſcire docente.
Lætitia eſt ingens, cum malus hoſp es abit.

Luſcus, & gibber.

GIbboſo luſcus, cui mane fit obvius, inquit,
Valde mane humeris, vir bone, tollis onus.
Valde mane equidem; ſubjungit & ille, feneſtra
Una tuæ tantum ſplendet aperta domus.

Luſcus, & pygmæus.

LVſcus inops quærit panem: pygmæus eidem,
Unum quære oculum; qui tibi, dixit, abeſt.
Luſcus ait, ſatis eſt unus: verumtamen ut te
Tam parvum videam, nec duo ſufficient.

Inertis præſidium.

NEſcio quid facias, diſcurris nocte per urbem,
Nec tibi præſidium cautus ab enſe petis.

Quid mihi cum gladio, quod inutile pondus eunti?
Si valeo pedibus, non egeo manibus.

Nil boni, nil mali.

SIc Princeps cuidam; quis de me rumor in aula?
Nec bene, ſubjunxit, nec male quis loquitur.
Centum ſcuta dedit, jubet abdi verbera centum;
Et bene, ait, poſthac, & male diſce loqui:

Cœcus de coloribus.

AN ſuperet pictor ſculptorem ſcire præoptas?
In lite hac judex vel tibi cœcus erit.
Contrectans ſtatuam, tango, inquit, pectus & ora:
Nil tale in tabula eſt, exprimit illa tamen.

Facta placent.

COnſilium, media & fini promptiſſimus apta
Seligis, in facto diriguëre manus. (rum!
Promptus & aptus homo es tibi facta negotia, mi-
Quam placeant, manibus non, Line, facta tuis.
Militis inſculpti ſpeciem præferre videris,
Frons oculi vibrant arma, nec arma movet.

Digitized by Google

Aqua, ſine ſua forma, quiniformis.

IN terris aqua fit glacies; vapor æthere, grando,
Nix rara eſt glacies, rara pruina magis.
Quinque igitur poſſunt elementi ſimplicis eſſe
Formæ: ſuſcipient dupliciora quotas?

Leonina.
Petrus flevit amare.

CUr, velut unda maris, lacrymis flet Petrus amaris?
Diſplicet, heu, Petro ſic abijſſe retro.

Mater doloroſa.

ASpice quot telis cor pungitur, alme Fidelis;
Mecum flere ſolet, qui cecidiſſe dolet.

Sanguis Chriſti.

CRimine qui triſti mundaris ſanguine Chriſti,
Liber es a pomo, ſis modo gratus homo.

Chriſtus Crucifixus.

REſpice, qui tranſis, manibus ſuſpendor, vt anſis:
Dux tibi ſum pacis, quid mihi bella facis?

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

Florindam Iuliani filiam (Cabam alij nuncupant) vitiaverat Rodrigus Hiſpaniarum, e gente Gotica, Rex: ipſa, injuriæ impatiens, patrem ad vindictam. ſub ambage hortatur: quam ſuo ipſe, filiæ, patriæque, & Catholicæ fidei malo conſequutus eſt. Iræ pone modum.

CAro nata patri mittit Florinda ſalutem;
 Mittere ſi valeat, qua tamen illa caret.
Dicebar præſente meo Florinda parente:
 Patris abeſt oculus; flos ſine Sole jacet.
Nec prolixa tibi ſcribetur epiſtola:quamquam,
 Si foret, illa patris fietamore brevis.
Adijcerem linguæ mordentia fræna libenter:
 Sed tua condemnant jura tacere meum.
Materiam rerum multam ſi ſuggerit aula,
 Unam, quam poſſum ſcribere, ſcribo tibi.
Rem tibi ſcribo novam nimis,eheu,ſcribo recentē;
 Expertis niſi ſit forſitan illa vetus.
Annulo adornatur quævis generoſa puella,
 Unica cui viridis gemma ſmaragdus ineſt.
Hic mihi carus erat; reliquis ex omnibus unam
 Hanc colui: hac dederas conditione pater.
Interea ſolita dum ſollicitudine ſervo;
 Heu fortuna nimis triſtis, iniqua nimis!

Nulla

Digitized by Google

Nulla videbatur metuendi cauſa ſubeſſe;
Omnis & a placido ventus abeſſe mari,
Læta coronatas onerabant fercula menſas;
Stratæ ubi ſint quæris forſitan? hortus erat.
In viridem cecidit gemmam tunc temporis enſis
Regius: in partes mille redacta perit.
Gemma perit; nullaq; perit reparabilis arte;
Gemma perit, formæ pulcra corona meæ.
Tu pluviæ guttas, pelagi numeraveris undas;
Quas ſpargo lacrymas ſed numerare nequis.
Uda pruinoſos latices aurora refundit;
Noſtris ex oculis copia major abit.
Siccus forte Tagus flavas oſtendet arenas;
Flumen erunt oculi juge fluentis aquæ.
Finis erit lacrymis, quando, de turre cadendo,
Mens rea migrabit merſa cruore ſuo.
Angor, & immenſo non eſt medicina dolori,
Nec lenire poteſt vulnera longa dies.
Quid faciam? Celerare fugam, ſedeſq; paternas,
Utile conſilium, quærere ſæpe puto.
Sed prætextus abeſt; &, ſi prætextus adeſſet,
Ungues accipitris lenta columba timet.
Te pater expecto: patrem ſuccurrere natæ,
Convenit: auxilijs indiget illa tuis.
Me miſeram! nollem tibi perſuadere quod opto;
Perdita gemma rogat, patria cara negat.
Si venias, totum venies convellere mundum:
Ulciſcere; ſed, heu, patria cara cadet.

Gem-

Gemmas vere novo complures exerit arbor:
Nemine ſed multæ vociferante cadunt.
Gemma mihi dilecta perijt, pater optime parce:
Illiſi in ſcopulos, non ego prima fui.
Sed tu, nobilibus cum ſis generoſus avitis,
Ducis & a regum nobilitate genus'
Ingenuæ perpende pater, rogo, ſenſa puellæ;
Num lupus exeſa liber abibit ove?
Vnius at culpam multorum pœna lavabit?
Everſo regno gaudia digna metam?
Filia tigris ero, vel ſi quid tigride pejus,
Lambere ſi flumen cogito ſanguineum.
Iræ pone modum, Florinda; ferocia ceſſet:
Siccine eris patriæ dira ruina tuæ?
Iræ cruda ſuos fines Florinda negabis;
Quam genuit mulier molliter, atque aluit?
Parce tuæ genti, miſeris tot parce puellis,
Quas tibi ſors eadem junxit honore pari.
Conſilia hæc rebus tranquillis apta videntur:
Conſilium, & mentem perdita gemma tulit.
Omnia perdidimus, fracta, Florinda, ſmaragdo;
Si perij, poterunt cuncta perire ſimul:
Non ſolus gemmam confregit regius enſis,
In mea conſpirat patria damna quoque.
Quid ni conſpiret, talem quæ ſuſtinet enſem?
Et cum ſuſtineat, digna perire quoque eſt.
Vilis turba mihi ſolatia vana miniſtrat,
Quæ me non lædi, vim patiendo, putat.

Quæ

Quæ ſemel eſt confracta, reſumere neſcit honoré
Cara, niſi effuſo ſanguine, gemma ſuum.
Hîc, ubi tu degis; referunt habitare peritos
Artifices. gemmam qui reparare queant.
Egregios hos terra fabros non nutrit Ibera,
Hanc ut reſtituat non erit aptus Iber.
Ergo age confractam, genitor, reparare ſmaragdũ
Nitere; poſſe puto, velle ſed urget honor,
De genitrice mea ſi quid fortaſſe rogaris,
Illa valet, melius forte valere poteſt.
Sed cave Florindam credas, pater alme, valere;
Corpore non ſano mens nimis ægra jacet.

Clavis Ænigmatis Platonici.

NOctuam in arbuſto percuſſit pumice luſcus
Diluculo leviter; hermaphroditus erat.

Clavis Epitaphij, Nata pater &c.

FErtur in amplexus natus veniſſe parentis
Neſcius; ignaro filia & uxor erat.

FEcimus Ingenuæ Numeroſius Iſta Sophiæ:
Faſciculo Iuſti Nominis Iſta Satis.

Lector,

Lector, ne me alienis alis volare exiſtimes, noveris quatuor, quæ ignotis autoribus ad manus meas devenerunt, Epigrammata ex Italicis latina feciſſe; quod in proſa ſibi Cicero quoque licuiſſe credidit. Ea ſunt, Tempus, & Ratio; Ratio, & Tempus; Vita clepſydræ comparata; *&* Ignes pulverei. Vale.

Ad Adm. Reu. Patrem

LAURENTIUM BOULBOUL

De Libro.

Ethica conjungens Sacris, gratiſq; Maniplis;
Faſciculum & Varijs, Pollemiciſq; ligas:
Fortiter hunc; mage quod mirum, ſtringiſq; ligãdo;
Ardua res cum ſit ſtringere multa ſimul.
Nam bona cum placido ſub nexu carminis ornas,
Et metris addis Officioſa Sacris,
Quæ mala ſunt, nunquam ſolvendis nexibus, arces;
Et tua conſtricto ſub pede Muſa premit:
Subque tuis vinclis clauſo gemit ore Lutherus,
Hos inter nodos vinctus Oëne peris.
Forte tibi vires Boulboul ſunt Herculis? Abſit;
Sola ſed Ingenij vis ligat iſta tui.

Tuus Michaël Caron.
Eminent. D. Card. Iac. Roſpiloſi ab Aulicis, Audomarenſis.

BIBLIOTECA NAZ. ... EMANUELE

Errata	*Corrige*
p. 7. v. 4. Alcidem prorſus firmat	Alciden prorſus format
15 12 redidit	reddidit
24 7 ſecreta	quieta
42 5 cacodamon	dux ater
45 7 Et tandem	Tandem
60 14 nihl	nihil
64 15 æther	æthra
68 2 magna ſecreta	mente ſuperna
82 24 ut Regem	Regem ut
129 16 Et, que vos ſocij modo	Et, quæ vos modo
130 4 Terram	magnoque fragore Vicinas Erebo terras
169 16 ſecretus	quietus

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

21: